
CYRILLI FRANCHI
SERVITAE BONONIENSIS
SACRAM THEOLOGIAM IN PVBLICIS BONONIAE Scholis profitentis.

DE ANNO IVBILEI COMMENTARIVS.

Ad Illustrissimum, & Excellentiss. Principem IACOBVM BONCOMPAGNVM, S. Ecclesiæ Romanæ Gubernatorem.

Nunc primum in lucem editus.

CVM PRIVILEGIO PONT.





BONONIAE, MDLXXV.
Apud Societatem Typographiæ Bononiensis.
Curiæ Episc. & S. Inquisit. concessu.



GREGORIO XIII.

PONT. MAX. REIP. CHRISTIANAE PARENTI AC MODERATORI SANCTISS. ET ECCLESIAE CATH. THESAVRI ANN. IVBILEI MDLXXV. DISPENSATORI CLEMENTISSIMO.

GREGORIVS PAPA XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Dum nobis excellens Ciuitatis nostræ BONONIAE conditio, eiusque ciuium, & incolarum in omni uirtutum genere, & præcipuè in liberalium disciplinarum cognitione præstantia, cuius nos ipsi certissimi testes sumus, ante oculos obuersatur, ac meritò eo nomine eam vrbem, uel apud exteros claram, & illustrem esse animaduertimus, facilè adducimur, illis non mediocriter fauere, qui studiosorum usui, dictæque ciuitatis ornamento imprimendi artem magnis laboribus, & expensis in ea instituere quærunt, eaque in re perficienda neruos suos omnes intendunt. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filij Quadraginta viri Reformatores status libertatis ciuitatis eiusdem nonnullis Ciuibus, & Mercatoribus, qui se ad id conficiendum eorundem Quadraginta uirorum precibus, & suasionibus inducti parátos exhibuerant, curam in dicta ciuitate artem impressoriam introducendi ad quoduis etiam insignium librorum genus egregijs typis demandandum idoneam imposuerint: illi uerò omnes labores, & expensas, aliaque ad eam rem perficiendam necessaria in se receperint. Nos intelligentes quantum laboris dicti Ciues, & Mercatores ea in re suscipiant, ac propterea illis consulere, & Quadraginta uiris præfatis rem gratam facere cupientes, eorundemque omnium, ac ciuitatis uniuersæ commodo, & utilitati studentes, ac uolentes, quoad fieri possit, Officinam ad imprimendum primo quoque tempore instruendam fœliciter, ac diligenter exerceri; & cum Ciues, & Mercatores præfati non paruam ad eam rem perficiendam pecuniæ uim conferant, neminem fructu laborum suorum fraudari, & eosdem indemnes conseruari uehementer optantes, eisdem Ciuibus, & Mercatoribus, & pro eis Agentibus, ut opera omnia, & quascunque alias res nouas hactenus non impressa in vulgus in posterum successiuis temporibus edenda, & per ipsos Mercatores, & Ciues, aut alios ab eis deputandos: illis tamen ab Inquisitoribus dictæ ciuitatis, aut alijs, ad quos spectat, prius examinatis prima vice imprimenda, per decem annos post eorundem operum, uel cuiuslibet ipsorum impressionem, ne ab alijs quibuscunque sub indicis de nouo adiecti, additionum, apostillarum, appendicum, aut commen-

tariorum nomine, uel alio quouis prætextu, sine ipsorum Ciuium, & Mercatorum præfatorum expressa licentia in scriptis ab eisdem Ciuibus, & Mercatoribus obtenta imprimi, aut per ipsos, uel de eorum mandato per alios impressa uendi, seu in eorum officinis, uel aliàs in apothecis operum præfatorum libri venales proponi, præterquam ab eisdem Ciuibus, & Mercatoribus, aut de eorum mandato, uel pro eis Agentibus possint, aut ualeant motu proprio, & ex certa scientia concedimus, & indulgemus. Omnibus vero, & singulis Christi fidelibus in quacunque terrarum orbis parte existentibus, præsertim impressoribus, typographis, & bibliopolis in uirtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris, eo ipso incurrenda pœna à qua non nisi per Rom. Pontifices pro tempore, præterquàm in mortis articulo absolui possint. In terris uerò, & locis nobis, & Romanæ Ecclesiæ mediatè, uel immediatè subiectis, sub eadem excommunicationis sententia, necnon mille ducatorum auri, partim cameræ nostræ Apostolicæ, partim ipsis ciuibus, & Mercatoribus, & his, qui præsentibus nostris litteris contrauentum fuisse ad notitiam deduxerint applicandis, præter librorum omnium amissionem toties ipso facto, & absque aliqua declaratione, quoties contra id, quod per præsentes disponitur, actum fuerit, incurrendis pęnis, ne intra dictos decem annos ab impressione dictorum nouorum operum, & cuiuslibet eorum, aut aliarum rerum nouarum computandos, dicta opera eatenus non impressa, aut alias res nouas sine eorundem Ciuium, & Mercatorum licentia, ut superius narratur, obtinenda, imprimere, seu ab ipsis Ciuibus, & Mercatoribus, & pro eis Agentibus impressa, uel imprimenda uenalia habere, uel proponere audeant, uel præsumant præsenti edicto prohibemus. Mandantes in virtute sanctę obedientiæ omnibus, & singulis Prouinciarum, regnorum, ciuitatum, terrarum, & locorum Inquisitoribus, cæterisq;, ad quos cura concedendi licentiam imprimendi spectat, ne in quibusuis orbis terrarum partibus opera in dicta ciuitate impressa de nouo imprimi contra harum litterarum nostrarum seriem, & formam, aut non elapso tempore in nostra hac prohibitione apposito, permittant, aut patiantur, aut imprimendi licentiam quoquo modo concedant. Vniuersis uerò venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, eorumq; in spiritualibus Vicarijs, seu Officialibus generalibus. In dominijs uerò nobis mediatè, uel immediatè subiectis, etiam Legatis, Vicelegatis, Gubernatori-

bus

bus, & aliis Officialibus, ut quoties pro parte dictorum Ciuium & Mercatorum, uel pro eis Agentium, aut ab eis ius, & causam habentium fuerint requisiti, eisdem in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant præmissa omnia, & singula contra inobedientes, & rebelles & per censuras ecclesiasticas, illas etiam sępius aggrauando, & alia iuris & facti remedia opportuna exequi: inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sęcularis. Decernentes ex nunc irritum, & inane quidquid secus super his à quoque quauis auctoritate scienter, uel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon etiam iuramento confirmatione Apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis, & locis in genere, uel in specie sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam pari motu, & aliàs quomodolibet in contrarium concessit, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de uerbo ad uerbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiler, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunq;. Quia uerò difficilè admodum esset, præsentes litteras ad singula quæq; loca deferri, uolumus, & præsentium auctoritate decernimus, earum transumptis, uel exemplis etiam in singulis operibus impressis, eandem prorsus fidem tam in iudicio, quàm extra adhiberi, quę præsentibus adhibe etur, si ostenderentur, uel exhiberentur. Vt autem in omnium, ad quos spectat, eædem litteræ notitiam perferantur, mandamus easdem in albo Prætoris, & alijs locis, in quibus publica edicta Ciuitatis BONON. publicantur, de more affigi, & affixas sic uniuersos, & singulos declaramus afficere, ac si eisdem personaliter intimatæ essent. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII. Nouemb. M.D.LXXII. Pontificatus Anno Primo.

IACOBO
BONCOMPAGNO PRINCIPI ILLVSTRISSIMO, ET GENERALI SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE GVBERNATORI.

Cyrillus Franchus Bononien.
S. P. D.

ACCIPE *Princeps Illuſtriſſ. commentarium à me hybernis his noctibus lucubratũ, quem, vt meam erga te obſeruantiam, pietatemq; aliquo officij genere declararẽ, firmiſsimæ tuæ tutelæ commendaui. Nam ea in me beneficia contuliſti, vt cum tibi vni maximè debeam, tum optem vt omnes omnium ordinum viri intelligant, Iacobo Boncompagno Principi clariſsimo, Cyrillum omnia uelle, quæ ad honorem, quæue ad rem ſuam ſpectant, accepta referre. Itaque rogatus à nonnullis, quibus cum mihi ſumma*

ma

ma intercedit necessitudo, ut aliquid de Amplissimo Sacrosancti Iubilei proxime euulgati munere conscriberem, non potui, diuino numine fretus hanc prouinciam, quanquam uiribus meis imparem, recusare. Pro qua re; quamuis, cùm sit ipsa grauissima, pauca dixero, ea tamen qualiacunque à me profecta sunt, non dubitaui in lucem edere: ea ratione ductus, ut tibi in primis, & Principi Sapientissimo, & Religionis Christianæ Propugnatori fortissimo fore grata considerem, deinde amicis, qui in hoc rogassent cæterisque pietatis cultoribus morem gessisse uiderer. Vale, meque tuæ amplitudinis obseruantissimum pro tua (ut soles) clementia commendatum habe. Bononiæ ex ædibus nostris Seruorum Decimonono Calendas Februarij. MDLXXV.

FRANCISCVS PEGNA

Pio, & prudenti lectori.

S. P. D.

OMNIVM gentium conſenſu, & opinione, in quorum animis non omnino naturalis equitatis lux extincta eſt: diuino quodam conſilio, ea increbuit perpetuò ſententia, ut Deorum numina commiſsis ab hominibus ſceleribus uehementer offenderentur: contra uerò ſparſis pijs lachrimis, gemitibus, ac ſuſpirijs placarentur, illiſque quibus antea fuerant infenſa, amica & beneuola redderentur. Nec in eo gentes uniuerſæ deceptæ ſunt aliquando, cum optimorum Principum humanorum exemplo, excitatæ, atque commotæ, talia benignitatis, & clementiæ non obſcura ſigna, diuinis ineſſe numinibus fateri cogerentur. Nihil.n.magis eſt proprium Principum bonorum, qui terreſtria hæc optimis inſtitutis, ac legibus regna gubernant, quàm inſita quædam animo pietas, non adeò ad punienda ſcelera promptos, quàm ad ignoſcendũ faciles eſſe debere; Hinc illud de Principe humano optimè dictũ.

Sit Pius in primis. Nam cum uincamur in omni.
Munere ſola Deos equat clementia nobis.

Cognouerunt enim propriam hanc eſſe cœleſtium numinũ uim, ut non modo uertutibus omnibus, ſed clementia præcipuè, & benignitate ornarentur, didiſcerantque infinitis propemodùm exemplis, non ſtatim patratis criminibus, commoueri Deos ad ulciſcendum, pœnaſque ſumendas de illis, quorum grauiſsima, & ſceleratiſsima flagitia cognouerant, imo flecti, pietate duci, humaniſque fletibus indulgere: quod non uno loco, ueteres authores ſine uera fidei luce teſtati ſunt.

Numen confeſsis aliquod patet.
Protulit quidam diuinitus. Et iterum:
Sæpe leuant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituiſſe uident.

At tametſi uno aſſenſu, & ore hæc ita ſeſe habere affirmarent, qua tñ ratione ſcelerum, & criminum contingeret expiatio, prorſus igno-

rabant. Quo factum eſt, ut dum cœleſtia ſibi conciliare numina nite rētur, excogitatis ſulphure, teda, lauro, & aliis eiuſmodi iuxta illud. Cuperet luſtrari, ſi qua darentur ſulphura, cum tedis, aut ſi foret humida laurus. Magis in uerum Deum totius benignitatis, & clementię fontem, grauiuſque peccarent. Nos uerò, quibus lux ueritatis, diuinorum myſteriorum ſincera perſcrutatio, & perfecta ueri Dei cognitio clariſsimè effulſit, ac patuit, longè aliam expiandorum ſcelerum rationem, & mundandorum à criminibus animorum uiam Vero imprimis ipſo Deo tradente, cæteriſque uiris pijs, ac ſanctis aſſentientibus, profitemur. Nam relictis illis ueteris inſtrumenti, & ſacrificijs, & ſacramentis, quibus iubente Deo Hebræus populus multis ſæculis, intercedente animorum dolore, & planctu, ad expianda ſua, & grauia, & nefanda crimina uſus eſt: in lege Euangelica nobis à Chriſto ueri Dei filio, in nouo teſtamento tradita; Vberrimus quidam gratiarum fons, ditiſsimus remiſsionis Theſaurus, inexhauſtum quodam limpidiſsimarum aquarum mare mundandis animis aptum, relictum eſt; Vt quotieſcunque grauis urget peccatorum ſarcina, & contracto criminis morbo, miſera intra corpus affligatur anima, à uero, & ſuauiſsimo Optimi, & Maximi Dei amore ſeiungitur, & ſeparatur, protinus quaſi febricitans ad frigidam aquam, quaſi ægrotus ad ſalutaria medicinæ remedia, & quaſi errans ouis ad ueram, & rectam uiam; Sic illa ad hæc ſpiritualia pharmaca, quæ animo, & corpori, ſecuram, & gratam conferunt ſanitatem, conuertatur. Eſt autem hic pleniſsimus, & uberrimus expiandorum peccatorum fons, ex infinitis, perpeſsionibus, & cruciatibus Chriſti, ex Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Sanctorum Pontificùm, Confeſſorum, piorum Doctorum, Virginum, cæterorumque ſanctorum afflictionibus, planctibus, lachrimis, uigiliis, ieiunijs, alijſque multis gratis Deo operibus conflatus. Nam cum hi aut nulla, aut pauca & per exigua in uita crimina; Spiritus ſancti gratia eorum corda muniente, contraxiſſent: pluſque ſatisfeciſſent quàm eorum debita poſtularent, in hac eccleſia Dei militante, uberrimum laborum ſuorum, & meritorum nobis theſaurum reliquerunt, ut quoties exigua, & tenuia noſtra non ſufficiunt merita, & officia, & lachrimæ ad ſanctiſsimam Dei gratiam conſequendam, eiuſque beneuolentiam conciliandam, hoc theſauro adiuti, & muniti, eam comparemus, tandemque

ueram

ueram expiationem, plenamque peccatorum remissionem consequamur. Huius uerò thesauri legitimi, fidelesque administratores, & dispensatores fuere semper ab initio nascentis ecclesiæ usquè ad nostra tempora, eruntque futuris omnibus sæculis, dum hæc pulchra mundi machina dante Deo durabit, Romani Pontifices. Quorum iudicio factum est, ut certi fuerint anni constituti, & destinati, ueluti antea centesimus, deinde quinquagesimus, tandem uigesimus quintus, in quibus uniuersis fidelibus Romam aduentantibus, ubi quæ necessariò exiguntur præstiterint, plenissima pateat cunctorum scelerum expiatio. Quæ, qua ratione contingat, quibus initijs, sit instituta; ex quibus potissimùm conflata, quibus temporibus concessa, quo modo in ueteri testamento fuerit præfigurata, quam conferat animæ uirtutem, aut spiritualem alacritatem, quanta sit huius expiationis, quæ in anno Iubilei confertur uis atque potestas: quid Iubileus ipse sit, quare potissimum certis illis annis, & non alijs institutus, qua ratione ex ueteri Mosayca lege deriuatus ad nos peruenerit, cæteraque omnia ad ipsum spectantia, utilia, necessaria, & scitu digna tradit Doctissimus, & Excellentissimus in omni disciplinarum genere Cyrillus Franchus Bononiensis ex sacro Seruitarum ordine, Primarius Theologiæ sacræ in hoc antiquissimo Bononiæ gymnasio interpres. Cuius opus de anno Iubilei, cum ad manus meas antequam ederetur peruenisset, uehementer etiam atque etiam placuit: nam siue scribendi ordinem, siue locutionis candorem, & elegantiam spectes, nihil non laudabile uideas: Si historiam, & Theologicam cognitionem, cum grauissimis patribus meritò conferes, à quorum uestigijs, & authoritatibus, nec latum quidem unguem unquàm discedit, si Græca, & Hebræa inspicias (quorum idiomatum est uir hic peritissimus) plurima inde est mutuatus, ad illustrandum, & perficiendum hoc opus. Deniq; si operis argumentum consideres, nouum nec à quoquam hactenus (quod ego sciam) excogitatum inuenies. Quamquam. n. plurimi de Indulgentiis earumque ualore plurima dixerint, at de Iubilei anno historiam nemo scripsit. Quo factum est, ut cùm in copiosa, & diuite eius bibliotheca, ambo essemus, uariosq; de præstantissimis disciplinis sermones conferremus, mentioque de hoc sanctissimo Iubilei, seu expiationis anno incidisset, præmeditatum, uir Doctissimus Cyrillus à se, nondum tamen perfectum opus,

†† 2 de hoc

de hac re in medium protulit. Cuius cum elegantiam, utilitatem cum pietate coniunctam, grauitatem cum decore, cæteraque omnia eximia, & præstantissima fuissem contemplatus, exorare cœpi, ne Rempublicam Christianam, hoc præstantissimo opere, & ditissimo Iubilei thesauro defraudaret. Quare & meis, & aliorum præcibus excitatus, in publicum edere decreuit. Gratò igitur animo grauissimè, & præstantissimè lector pium, ueri pij uiri, & docti accipe opus, non minora accepturus, ubi plurima alia, quæ nunc in Theologia facultate parat (nam uigilias eius in Philosophiam, & alias disciplinas liberales consultò prætermitto) & præsertim ad illustrandum Petrum Lombardum, sententiarum Magistrum, in communem literatorum omnium utilitatem, & commodum publicabit. Vale Bonon. Quarto Calend. Ianuarij.

Ad Cyrillum Franchum, Theolog. Venerandum.
Antonius Sulfrinus.

Lux denis oritur lustris voluentibus alma,
Atque pijs affert gaudia magna uiris:
Labitur ecce horis felix felicibus annus
Et cœlo in terras gratia larga fluit.
Summa patris, summi pœnas Clementia laxat
Et fit cœlicolum plenior alta domus.
Hæc dum qua fiant monstras ratione, Cyrille,
Quis tibi diuinum numen adesse neget?

Λουκίου σχαράνου.

Ἀνθρώποισι τόδε γε καθάρσιον ὤπασε δῶρον,
Ἱερὸν οὐρανόθεν κυκλοφορήσας ἔτος.
Τὰς δ᾽ ἀρχὰς Κύριλλος ἐγράψατο τοῦδ᾽ ὀφελόστε
Θεῖον θεῖος ἀνὴρ, φεῦ σκοταίου καμάτου.

CAPITA QVAE IN TOTO OPERE CONTINENTVR.

CYRILLI FRANCHI BONON.
IN COMMENTARIVM, DE ANNO IVBILEI

PRAEFATIO.

SAP. SEPT.

Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.

NVLLA res in sacris literis uideri potest, in qua per quirenda inuestigandaq; non maxima certè, si recta animi ratione attenderit, afficiatur quis, uel admiratione, uel utilitate: nã cùm per illas cognoscamus nos ipsos Deo Opt. Max. similes factos, cõformatosq; esse: uideamus nostra causa ab eodem cũcta esse procreata: cõspiciamus etiam, quod non minimũ est, nós seruitute graui oppressos in libertatem, quã parentum nostrorum culpa amiseramus uindicatos; Hæc qui contẽpletur, nõ poterit certè non nisi summè admirari, summè obstupescere, atq; ad ea, quæ non indigna se, eoq;, qui illum talem effinxit, gerenda inflammari; Præsertim, quòd ea ijs proposita sint, qui rectè proficiscantur, excursu huius uitæ spatio præmia, quibus maiora exoptare certè non possimus. Quæ cum sæpenumero cogitauerim, solitus sum non mediocriter in hac cognitione mecum ipse admirari, Cur, cùm hęc ita sint, quædã tamen in sacris sint literis, quæ & plurimùm saluti nostræ conducunt, tàm diu abdita in tenebris latuerint, & uel à nemine, uel à paucis, aut conquisita, aut pertractata sint. Quorum in numero Iubileus est, de quo, qui uberiùs, dilucidiùsq; hactenus egerint, quàm pauci sint, ea quæ extant de illo scripta declarant. Atqui dignitatem præstantiamq; eius maxima cum utilitate coniunctam, nemo iure optimo negabit: nam & à Deo Opti. Maxi. institutus, à Summo Pontific. Christi Domini Nostri Vicario solùm renouatur: & saluti, ac felicitati nostræ ita expedit, ut non modo à peccatis (sacramento pœnitentiæ mediante) sed & à peccatorum, quæ nobis subeundæ fuerant, pœnis per illum piè sanctæque,

is quod

is quod decet adhibeatur, eripiamur. Verùm id postea desij mirari, quòd onus, id qđ quisq; hinc animaduertere facillimè pōt, opiniōe grauius est. In sacra.n. Theologia primùm studiosè, diuq; uersatū esse oportet, cùm ab ea quomodo Iubileus hic inuolucribus quasi quibusdam tectus, nobis fuerit significatus, ostendatur; Deinde cum Religio Christiana quamplurimis, grauissimisque procellis iactata, atque agitata fuerit, & ad eam uel reparandam, uel stabiliendam conuentus plurimi, quos Concilia dicimus, uarijs in locis facti fuerint, eorum omnium decreta (de Indulgentiis enim & in illis agitur, de quarum numero Iubileus est) cognoscenda sunt. Postremò, reliqua ut omittam, res tractanda ea proponitur, quæ sæpius immutata cùm sit, tum nostrorum, tum ueterum temporum historiam nouisse, annorumque seriem notasse opus fuerat. Quæ cum ita sint, & si non ea omnia in me esse persuasi, tamen admonitus, uel quodam officio, quando hic Bononiæ publicis in scholis multos iam annos sacram Theologiam profiteor, uel ipso tempore, quod Iubileo Sacrosancto huic nunc dicatum est, addo, quòd non insuaue hoc (si equo animo, non ab inuidia exulcerato, id, unus quisque degustauerit) futurum existimo. (natura enim nobis quasi insitum est, quæ cognoscimus, acriùs aut appetamus, aut diligentiùs uitemus) Quæ igitur diuersis in locis sparsa erant, in unum coacta, & quatenus per me fieri potuit explicata, huic libro, & commentariolo mandare uolui. Vbi quanta Iubilei præstantia sit, à quo, & quando institutus, quotiesque immutatus, & omnia quæ ad ipsam rem commodiùs cognoscendam pertinerent, demonstrare studui. Et cùm liber in capita sit distributus, in unoquoq; capite quid agatur (quo scilicet & quod, & quantùm sibiquisque uolue rit legat) subscripsi. Qui non ingratus labor Pijs, & Christianæ Religionis, uti opinor futurus est.

CYRILLI FRANCHI,
DE ANNO IVBILEI.
CAP. I.

Causa, cur annus Iubilei annus sanctus dicatur.

ANNVM quintum & uigesimum, Sanctũ ideo dicimus, quòd maiorum nostrorum imitatione, quotidianis operationibus, & ciuilibus, quæ ad Religionẽ, ac Pietatem, & ad salutem animæ pertinere uidentur, præponere debeamus: Hoc est diuinæ legis decretum; Quia Iobel est, & quinquagesimus est annus, non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, & primitias uindemiæ non colligetis ob sanctificationem Iubilei, sed statim ablata comedetis. Sanctus est annus; quia sanctas in eo actiones operamur: & in quo hæc sanctitas consistat docuit D. Hieron. de uita Clericorum ad Nepotianum; Nec immolemus agnum, nec mysticum Pascha celebremus: quia hæc absque templo fieri lege prohibentur. Figamus septimo mense tabernaculum, & solemne ieiunium buccina concrepemus. Quod si hæc omnia spiritualibus spiritualia comparantes, scientesque cum Paulo, quod lex spiritualis est, & Dauid uerba cantantis: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Sic intelligimus ut Dominus quoq; noster intellexit, & interpretatus est sabbatum, hęc est sanctitas cõplectenda. Sanctus est annus quia nos ob sanctas operationes, sanctos reddere potest; in hoc enim expiari possumus à quacunque nostra improbitate: ita D. Hierony. qui sancti dicantur declarans ait; ex Monogamia Tertuliani; Sancti sunt fidelium filij, quasi candidati sint fidei, & nullius idolatriæ sordibus polluantur, ita legimus uasa sacra fuisse in tabernaculo, & cætera, quæ ad ritum cærimoriarum pertinent cùm utiquè sancta esse non possint, nisi ea, quæ sentiunt, & uenerantur Deum: idioma erit scripturarũ est, ut interdum sanctos dicamus pro mundis, & expiatis: ita Bethsabeæ sanctificata est ab immũditia sua: & templum sanctum dicimus, cùm in eo sanctis actionibus operam demus. Hac ratione annus sanctus dicitur, quòd ab omnibus criminibus, impietatibus, flagitijs in eo emundari studeamus. Non nisi causa est sanctus annus, sed quemadmodum D. ait Augustinus ad fratres in Eremo, locus non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit, & nos. Sanctus igitur annus est: quia sanctè operari studemus: Sãctus, cũ sancta tractentur, Sanctus, quoniam in eo sanctitatem omnium sanctorum meritis omni studio perquirimus. Sanctus, quia à Deo sanctificatus est; ita legimus; Sanctificabisque annum quinquagesimum, & uocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ, Sanctus dicitur, quia totus ad cultum Dei sanctum,

referendus est: nam θεοσέβειαν *sanctitatem dicimus, referentes ad eũ cultum quẽ Græci* λατρείαν καὶ δουλείαν *dixere, quo Deum adoramus, B. Virginem, ac sanctos ueneramur. Sanctus etiam dictus quòd nobis Deum propitium faciat; Cùm antiqui Latini sanctum propitium esse dixerint: ijs igitur causis hunc annum. M D L X X V. appellabimus sanctum.*

CAP. II.

Annus iste, à quo primum annus Iubilei fuerit dictus.

Leuit. 25. *ANNVS præscriptus, annus Iubilei dicitur ex Dei institutione. Leuit. 25. iubet Deus Moseh; Sanctificabis annum quinquagesimum, & uocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse enim est Iubileus. Vox Hebræorum est propria, quibus acceptã referimus: Iobel est. Hanc explicauit* D. *Gregorius super Iob lib. 1. cap. 12. Iubileus, hoc est plena requies, in quo plena requies consumatur, uel exprimitur, septem hebdomadibus consummatur: cui monade addita, nostræ adunationis summa impletur. Iobel & Arietem significat, uel arietum cornua, sed ueriùs à uiris linguæ sanctæ peritis, Iobel, dimittens interpretatur: ideo in hoc anno cunctis datur debitorum dimissio: qua de causa à Magno Gregorio plena requies dicitur: Vocis huius explicationem, quam etymologiam dicunt nonnulli, à tubarum clangore arbitrantur aliqui deductam esse, quibus mense septimo, Dei Opt. Max. iussu, annus Iubilei promulgabatur cunctis habitatoribus terræ: quam interpretationem damnare non auderem: minus tamen commodam (meò indicio) dicam esse, quòd illæ tubæ à* Deo *sint ordinatæ ad Iubilei promulgationem, ac etiam post & non antea, quàm Iubileus institutus fuerit: unde illæ propter Iubileũ sunt institutæ, nõ Iubileus propter illas, dicendũ erit. Nec defuerunt alij, qui arbitrarẽtur uocẽ deductã fuisse à uerbo Iubilare. Iubilare autem docuit* D. *Augustinus in Psal. 80. est alicuius ex abundantia gaudiorum, cui uerba sufficere non possunt, eruptio in lætitiam, clamore, uel alio quouis modo. Huius opinionis quidam Stephanus Notus fuit, qui minus eruditè modum loquendi quotidianũ retinens, rationes omnes abiecit. In hac re igitur potius dicerem, uocẽ propriam linguæ sanctæ esse, à Deo Opt. Max. adeò institutam, ut opus non sit inuestigare, à quo sit deducta: Iobel est inquit Deus, & Iubileus erit: habet quidem uox illa latentem quandam energiam non omnibus compertam. Nec multum mihi referre uidetur, si dixerimus Iubileum, uel Iobileum, nisi potius dicere uoluerimus Iobel, quæ propria est ac legitima uox huius rei, quod tutiùs dicendum esse credo: si tamen ad nostrũ etiã*

extor-

extorquere uoluerimus Idioma, ita dicemus Iubileum, quemadmodum Iobileum, quamuis Iobileum dicere, magis accommodatum uideatur uoci Iobel, Iubileum autem etiam dicemus, cacophoniam gratia euitandi, nol is enim commodior erit pronunciatio si Iubileum dixerimus, & grauior uocis explicatio: quamuis Turrecrematus, aut alij etiam plurimi, alterius fuerint sententiæ in expositione Decretorum: res autem cùm nullius ferè sit momenti, ad grauiora me confero.

CAP. III.

A quo Iubileus Originem duxerit.

A DEO *Opt. Max. originem duxisse testantur apertæ sacræ literæ. Iubet Deus in Leui. annum quinquagesimum sanctificari: institutionem etiam explicat dicendo: ipse est enim Iobel. Et quod ab eo fuerit Iubilei institutio, hæc res persuadere poterit; Quòd apud sacras literas nulla fiat de Iubileo commemoratio, nisi ab eodem Deo, cũ sæpius sit Iubileus nominatus. Primũ quando est à Deo institutus. 25. cap. Leuit. Ipse est Iobel, aut Iubileus: sic in toto etiam illo cap. repetit eadẽ uocẽ, in uigesimo etiã septimo cap. de uotis Deo factis, præcipit quid faciendũ sit usq; ad annũ Iubilei: semel tantũ nominatur in trigesimo sexto Num. à filijs Machei, & Manasse de stirpe filiorum Israel, qui tamen Deo referunt Iubilei institutionẽ. Iosue aũt 1. Deus de Iubileo loquitur; Dixitq; Dominus ad Iosue: Ecce dedi in manus tuas Hiericho, & Regem eius, omnesq; fortes uiros. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem. sic facietis sex diebus. Septimo autem die, sacerdotes tollent septem buccinas, quarum usus est in Iubileo, & præcedent arcam fœderis. Septiesque circuibitis ciuitatem, & sacerdotes clangent buccinis, cumque insonuerit uox tubæ longior, atq; concisior, & in auribus uestris increpuerit, conclamabit omnis populus uociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis, ingredienturq; singuli per locum contra quem steterint: alio loco uerbum de Iubileo factum esse, uidere non possumus. Quod etiam potissimum crederem argumentum esse probans, à Deo ortum duxisse, & nullo modo ab hominibus fuisse excogitatum, eo pacto, quo nonnulli impiè docere uoluerunt. Res enim adeò manifesta est quòd alio pacto illustrari non egeat. Et consideranti uocis uim quæ est uox remissionis: à quo uerò præscripta est lex remissionis, nisi à Deo? Iubilei igitur origo in Dei Pietatem referre debemus, quam etiam rem in sequentibus illustrius explicabimus.*

Leu. 25. Leu. 25. Leu. 27. Num. 36. Iosué 1.

CAP. IIII.

Iubileus antiquissimus est.

ANTIQVISSIMVM *esse Iubileum, facillimè ex ijs quæ præcedenti capite diximus intelligere possumus, est.n. à Deo, Decreto antiquæ legis præscriptus inter alia legis præcepta Moseh. In cuius rei consideratione nõ possum non, maximè admirari. Clarissimos uiros alioquin doctissimos Iubilei institutũ primordijs huius orbis tribuẽtes, cũ res ita illustris sit, & manifesta ex diuinis literis, superiori capite cõmemoratis, ut dubitari de illius institutione non posit. Nã quidã istorũ* Iubileum *septimo diei à Deo sanctificato tribuebant, cum in eo die quieuerit ab omni opere suo quod patrauerat. Alij cœpisse docuerunt Noah temporibus ex horũ tẽporum superstitiosa quadã consideratione. Eiusdem sententiæ & alij nõ nulli fuere, ut Historiarũ magister, Vgo Turrecrematus, Annanius, et plurimi alij dicentes; Iubileũ temporibus Abraham cœpisse, cũ dimicasset aduersus quinq; Reges, qui Loth agnatũ suũ seruitute oppresserant: quibus ẽt tẽporibus Melchisedech sũmus sacerdos, D.N. humanitatẽ præseferẽs, pro sacrificio panẽ, & uinũ Deo Opt. Max. obtulit.* Loth *uerò eo tẽpore annum quinquagesimũ agebat, cuius gratia Abrahã Iubileũ instituisse dicebãt. Alij ẽt hac docent ratione institutũ fuisse, Nã. Abrahã, cũ motuũ stellarum peritissimus esset, cognouissetq; in quolibet quinquagesimo anno stellarũ* τὰς ἀναφορὰς *quæ plurimũ essent ijs quæ sub sensum cadũt cõmoditatis, hũc instituisse ann. Iubilei, obseruatione dignũ, sed quis nõ affirmaret hæc puerilia, ridicula, cõmentitiaq; prorsus esse? Etenim quid illustrius est in l. antiqua ista Iubilei institutione? Dicamus igitur annũ Iubilei ordinatũ fuisse anno ab orbe terrarũ cõditione bis millesimo quadrigentesimo quinquagesimo tertio, altero mense post tabernaculũ erectũ, aut secũdùm alios anno bis millesimo quadrigentesimo quinquagesimo quarto, ante annorum redemptionis plenitudinem M D V I I I. & ante mortem Domini nostri Iesu Christi. M D X L I.*

CAP. V.

Causa, cur in Quinquagesimo anno sit Iubileus institutus.

GRAVISSIMI, *& Sanctissimi patres, numeri naturam accuratè cõsiderauerũt, & cũ apertè cognouissent, plurima in eis tegi ad diuinarũ rerũ uerã cognitionẽ, mysteria. Prætereo* Philosophos, *Pythagoram naturæ uires in numero contẽplantem, Platonem Animam numerum facientem: ac etiam Aristotelem de numeri*

ri præstantia plurima docentem. Nam diuina, nobis lege conscripta, illustriori lumine ut cognoscantur egent, cognitione sensuum; Ad patres igitur recurrendum est numine diuino illustratos. D. Augustinus de lib. arbitrio cap. 2. Numerum Dei sapientiam esse testatur. In secũdo de Trinitate numeri admiratur uirtutem, & eos reprehendit, qui absque numerorum peritia Dei scientiam inuestigare student, & occulta literarum sacrarum gloriantur scire mysteria. Magnus Diony. maxima numerorum obseruatione, omnia ferè declarauit. D. Clemens, Tertulianus, Eusebius & D. Hierony. in apolog. aduersus Iouinianum, & alij omnes Ecclesiæ catholicæ Patres, inter alios numeros ab eis consideratos præsertim contemplandos nobis tradiderunt quinquagesimum, & quadragesimum numerum, & inter omnes septenarius numerus est propter sui perfectionem celebratissimus; conflatur enim ex pari numero, & impari, pari diuisibili, impari indiuisibili: propterea in sacris literis numerus septenarius excellentiã rei alicuius semper ostendere uidetur, quod etiã docuit D. Greg. in lib. Iob lib. 35. cap. 6. cuius sunt hæc uerba; Septenarius numerus apud Sapientes huius sæculi, quadam sua ratione habetur perfectus, quod ex primo pari, & primo impari consumitur. Primus enim impar ternarius est, primusq; par quaternarius, ex quibus duobus septenarius cõflat, qui eijsdem partibus suis multiplicatus, in duodenarium surgit, nam si tres per quatuor, seu quatuor per tres ducamus, ad duodenarium peruenimus, quo numero, & anni orbis consumantur. Ex septenario igitur numero Iubileus est constitutus propter numeri huius latentem, & occultam uirtutem, quæ nobis declarat laborum nostrorum perfectam requiem per Iubileum nobis promissam. Ita Deus septimum diem sanctificauit, quo nobis futuram requiem polliceretur septenario annorum curriculo absoluto. Septenario igitur hebdomadarum numero Iubileus constitutus est: Numerabis enim inquit Deus tibi septem hebdomadas annorum, idest septies septem, quæ simul faciunt quadraginta nouem: & clanges buccina mense septimo decima die mensis propitiationis tempore in uniuersa terra uestra. In septimo numero institutus est Iubileus, ut septenarius numerus in se multiplicatus, nobis reddat quadragintanouem annos, quibus elapsis, nobis oritur expiationis, & remissionis fœlicissimus annus. Quod retulit D. Gregor. super Ezechielem homil. 17. per quinquagesimum numerum requies æterna designatur, ipse autem septenarius per se ipsum multiplicatus, ad quadraginta, & nouem ducitur, cui si monas additur, ad quinquagenarium peruenitur, quia omnis nostra perfectio in illius unius contemplatione erit, in cuius nobis uisione iam minus aliquid salutis, & gaudij non erit. Hinc etiam Iubileus,

Gen. 2

leus, idest annus quinquagesimus in requiem datus est, quia quisquis ad Omnipotentis gaudia peruenerit, laborem, & gen itum ulterius non habebit. & hom. 19. per quinquagenarium nostram requiem diximus figurari, quia & quinquagesimus ueteri populo in requiem datur, appellatus est Iubileus, & septennarius numerus, per quem hoc omne tempus euolui tur septies multiplicatus, ad quadraginta, & nouem ducitur, cui monas additur, quia in unius contēplatione requies æterna perficitur. Moseh etiā

Leuit. 5. *iubet Deus fieri decem cortinas tabernaculi sancti, quæ ansulas quinquagenas haberent, & circulos aureos quinquagenos, à latere, & summitate. Quinquagenarij etiam numeri latentem uirtutem docuit Hugo de S. Victore de archa morali. cap. 25. & omnes ferè Ecclesiæ patres. Sed cur non debuit Quadragenario constitui numero? Dicere oportet, iure optimo, id factum esse; Quando quidē, quadragenarius numerus, cum sit numerus laborem significans, & pœnitentiam, & pęnam, non quietem, aut remissionē ostendere uidetur. Et idcirco Terra fruges non tulit quadraginta annis post Gedeonis peccatū, cùm ex auro in circunciforum Ephod in Domini abhhominationem fecerit. Quadraginta annos etiā errauit populus in deserto, & uno ferè uix, uel duobus relictis, reliqui periere ob murmuratio nis in Deum scelus. Quadragintaquè dies Moseh progreditur ad montem Syna, & Elias ad montem Dei Oreb. Quadraginta etiam dies Iesus Christus Saluator noster in deserto ieiunus commoratur, ut nos pœnitentiam doceret. Præterea quadragenario numero Vates diuinus, & D. Paul. ad*

Hebr. 9. *Hebræos iram Dei manifestarunt dicentes; Vbi tentauerunt me patres uestri, probauerunt, & uiderūt opera mea quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde, quinquagenario igitur numero Iubileus instituendus erat, cum numerus iste remissioni debitorum sit accommodatus, ita Saluator noster, id nobis descripsit; Duos*

Luc. 12. *debitores cuidam fœneratori debuisse, hunc quingentos denarios, alterum quinquaginta, non habentibus illis unde redderent, donauit utrisque]. Iubileus uerò cum remissio sit debitorum, meritò hoc numero instituēdus erat. Hac ratione Deus obscenis ciuitatibus scelera dimittere uoluit, si quinquaginta bonos inuenisset, inquit igitur de Iubileo; Sanctificabis quinquagesimum annum. Non autem quadragesimum. Cum iste non remissionem, sed punitionem potiùs significare uideatur, & pœnā pro flagitijs à nobis lucudam. D. Aug. Epist. 119. & in lib. quæst. super Gen. 9. 169.*

CAP. VI.

Quid agebant Hebræi in anno Iubil ei antiqui.

QVID sit annus Iubilei facillimè ex iisque explicauimus et ex veteri lege cognoscere possumus: in eius.n.institutione inquit Deus Opt.Max.Sanctificabis annũ quinquagesimũ, & uocabis remissionẽ cunctis habitatoribus terræ; Est igitur annus quinquagenarius, annus salutaris cunctis habitatoribus terræ, annus dimissionis, sed quæ sit ista dimissio declarat eadẽ lex; Reuertetur homo ad possessionẽ suã, & unusquisque rediet ad familiã suã, quia Iubileus est, & quinquagesimus annus. Sed quæ dimissio hæc erat? Serui donabãtur libertate. Debita relaxabãtur. Captiui dimittebantur. Res à proprio abalienatæ domino, in propriũ ius reuertebantur. Iudicia litigatorũ dissoluebantur. Inimicitiæ deponebantur, ut summa quies esset omnibus ac tranquillitas, tum corporis, tum animi. Annus igitur Iubilei, annus erat lustralis, annus expiationis, in quo omnĩ studio legis diuinæ præceptis obediebant Hebræi, usuras euitando, odium priuatum deponendo, debita remittendo, seruos soluendo, res abalienatas in ius pristinum reuocando, quæ præcipuè erãt: Agri, Domus, Serui, & omnia alia faciendo, quæ ad corporis & animi quietem, & tranquillitatem erant necessaria. Annus quidem Hebræis salutaris, expectatissimus, iocundissimus, annus Religiosissimus, uerè annus sanctus ille dicebatur: cum in eo nihil nisi sanctum operarentur. In quo, sacrificiis, oblationibus, orationibus solum iucumbebant. Hæc, & alia id genus operabantur in hoc anno Iubilei ex Dei præceptis Hebræi: qui annus Religionis propriè diceretur.

CAP. VII.

Annus ille antiquus, typus erat Iubilei Christiani.

VMBRA, & figura legis Christi, lex illa Mosch antiquata erat, ex testimonio D. Pauli ad Hebræos. Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: Iubileus Heb. 10. *tantæ iste Religionis, nonne, & ipse erat figura noui Iubilei? Omnia inquit D. Paulus contingebant illis in figura. Quid latrant igitur Hæretici, quasi Iubileus non habuerit & ipse uim suam? sed & hic adumbratio erat nouæ legis. Non excogitatum igitur ab ecclesiæ Pontificibus dicemus nostrum Iubileum esse, ut inferius suo considerabimus loco, quem ad nodum latrant, sed ut tuba illa concisior, à Deo pro antiquo Iubileo ad eius promulgationẽ, ordinata fuerat: ita Põtifex est promulgator uice Chri*

sti Domini Nostri huius anni sacrosancti . Iubileus igitur ille cùm istius sit adūbratio, summa religione est celebrandus: eanim quæ Hebræis in figura contingebant, nobis maiori pietate recipienda fuerunt, & quæ
Hebr.7. *illis corporalibus numeris sunt præcepta, nobis spiritualiter sunt contemplauda; non enim sunt reiecta, quæ Deus sua prouidentia decreuit in ueteri lege: sed cum imperfecta essent. (Nihil enim ad perfectum adduxit lex) ad summam illa perduxit perfectionem Christus Saluator noster, cum dixerit; Non ueni soluere legem, sed adimplere. Iubileum igitur illum antiquatum non celebramus, sed illum literalem corporeum permutamus*
Hebr.9. *in mysticum, & spiritualem. Quem sensum uoluisse Spiritum Sanctum intelligere profitemur aduersus impios hæreticos: hæc diui Pauli est doctrina; Qui cùm multa dixisset de tabernaculo Moseh, addit; Quæ parabola temporis instantis est, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem solùmodò in cibis, & in potibus, & in uarijs baptismatibus, & iustitijs carnis, usq; ad tēpus correctionis impositis, interpretatur D. Chrysostomus, ex in*
Hebr.9. *terprete. Hæc erat iustitia carnis, deijcit hic hostias ostendnes, quia nullam habebant uirtutem, & quia usque ad tempus correctionis erant, hoc est, tempus sustinebāt corrigens omnia. Christus aūt assistēs Pōtifex futurorū bonorū, per amplius, & perfectius tabernaculū nō manufactum. i. nō huius creationis. Perfectius aūt dixit, ut potè incōprehensibile, & maiora perficiens: hæc aūt spiritualia maximè Deus. n. spiritus est, & qui adorant eū, adorāt in spiritu, & ueritate: ita ueteris illius legis ritus accepimus. Et D. August. ad Honoratum 3. cap. docet sacram scripturam esse re*
Matth.12. *cipiendam secundùm allegoriam. Cum res consideramus non tantùm secundùm literam, sed quatenus figuræ sunt alterius rei consequendæ. Ita*
Gen.14. *Ionæ signum docuit Christus in uentre ceti suipsius signum fuisse in sepulchro, & nō solū Christi capitis ecclesiæ, sed suæ ipsiusmet ecclesiæ: de ritibus explicatiùs quoq; loqui poterimus. Sacrificiū illud panis, et uini Malchisedech, nōne est huius diuini sacrificij Eucharistiæ, quo utitur Christiana Religio pro cōmemoratione reconciliationis facta per Christum typus, & figura? quis unquam id auderet negare? ex Dei igitur uoluntate pro Iubileo illo rudi, & imperfecto, hunc perfectissimum ad nos peruenisse per Christi D. N. clementiam credere debemus. Quem omni lætitia Iubilantes, psallentes Domino hoc præsenti anno. M. D. LXXV. summa religione suscipere debemus.*

CAP. VIII.

Iubileus Christianus cœpit à Christo.

A IESV Christo Saluatore nostro Iubileum Christianum, ac sanctissimum, originem habuisse nulli dubium esse debet: cum certiores simus, ab eius pietatis uberrimo fonte omnium nostrarum iniquitatum remissionem emanasse: ipse enim est agnus ille innocentissimus, qui omnia tollit nostra peccata, & ipse ex testimonio Isaiæ confirmauit: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, Euangelicare misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, clausis apertionem: ut prædicarem annum placabilem domino, itaque annum remissionis dicemus diem fuisse mortis Christi: dicente Apostolo ad Hebræ. Hoc autem testamentum quod testabor ad illos, post dies illos dicit dominus: dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum non recordabor amplius: Vbi autem eorum remissio: iam non est oblatio pro peccato. sed cur quinquagesimus annus, pro eo Iubilei anno celebrabatur? nisi ut annum celebremus, & nos placabilem domino, annum remissionis, annum Iubilei: in quo deleta culpa, à pœnis liberamur. Quod interpretatur D. Ambr. Vngitur Christus oleo spirituali, & virtute cœlesti, ut paupertatem conditionis humanæ, thesauro resurrectionis rigaret æterno, captiuitatem mentis auerteret, cæcitatem illuminaret animarum, annum domini perpetuis diffusum temporibus prædicaret, qui redire in orbem laboris nesciat, continuationem fructus hominibus & quietis indulgeat. A Christo igitur Saluatore nostro, Iubileus originem duxit, sed quo tempore ecclesiæ præscripsit? Eo quippe tempore, quo Pontificatum, & summum Sacerdotium Petro tradidit. Cui Regni cœlorum claues sunt commissæ, ut quem iudicaret soluendum, solueret; & quem ligandum, ligaret. Hancquis Iubilei potentissima emergit, ut pote à ui summæ in ecclesiam iurisdictionis Pontificiæ eidem Petro cõcessæ, quod fuit anno conditi orbis 3998. an. uerò Domini nostri 33. mortuus est postea Saluator noster ann. mũdi 3999. anni intercedentes inter Iubileum antiquatum & mortem Christi fuere 1511. Natus uero est post trigesimum Iubileum, quoniam triginta cubitorum altitudo Archæ Noah constituta est, quæ piorum animas ab aquis Diluuij conseruabat, sed arca in monte collocata est: in trigenario Iubileo custoditi sunt patres, ut post trigesimum, in monte caluario arca collocaretur, quæ humanitas Christi fuit, qua in monte collocata, Iubileus plenarius effluxit: occultum id erat Iudęis, manifestum nobis factum est. Saluator enim noster & triginta annorum erat, cum Iubileum cępit prædicare. Post trige-

Isa. 61.
Hebr. 10.
Matth. 16.
Matth. 27.
Luc. 2.
Gen. 6.

si nunigitur Iubileum anno 45. Christus totius humani generis Redemptor cruci affixus mortuus est. Ad trigesimũ primum deerant anni quinque, quo anno Apostoli cum post resurrectionem Hyerosolimam Iubilei gratia uenissent, ad eos misisse Caypha n Pontificem ferunt, ut ad eum uenirent ut cum illis de Christo loqueretur, quò uel illi eum docerent Iesum Nazareaum Christum fuisse promissum, aut ipse illis ostenderet, non fuisse: ita Clem. Recog. lib. 1. In hac annorum consideratione placuit mihi rationem annorum complecti, Clarissimi uiri Gerardi Mercatoris Mathematici, quam rectiorem inter aliorum supputationes esse iudicaui. Sed cur statim post Christi mortem Iubileus Christianus promulgatus non fuerit eodem ritu, quo nos celebramus, causam facillimè reddere possumus; Quoniam ecclesia Christi nondum firmam, ac determinatam habebat sedem, & ab hostibus Christianæ religionis infestissimè agitabatur, nec locum adhuc ad munus id obeundum tenebat commodum. Et post etiã Romanum Imperium adeptum, Barbarorum incursionibus turbata, ac etiam ciuilium dissensionum totius Italiæ cruciatibus affecta, his ritibus, cærimonijs, quibus hoc tempore sanctissimum Iubileum celebramus, non potuit illum (ut debuit) uenerari. Qui hæc studiosè uidere desiderat, ecclesiasticas legat historias: à quibus de re hac plurima digna consideratione intelligere poterit. Nulla uerò alia causa esse uidetur, cur in hac re prolixiores esse debeamus, ideò ad alia descendere oportet.

Luc. 3. Matt. 27. Act. 20.

CAP. IX.

Iubilei tempus, & quoties sit permutatum.

IVBILEI *constitutionem à Bonifacio octauo efluxisse vulgus imperitorum arbitratur, cum nec institutũ antiquius ipsius Bonifacij bullæ, in Romano archiuio habeamus; res tamen aliter se habere constat (loquendo de Iubileo secundum eius substantiam) Anno enim Domini sexcentesimo quinto (aliquibus pijs referentibus) Bonifacius huius nominis Tertius Phoca Imperatore plenarias indulgentias militibus Hyerosolimitanis concessit, quod item alij postea Summi Pontifices fecerunt: Indulgentias quoque D. Greg. dispensasse, & plenarias semper omnes catholici censerunt unanimi consensu. Honorius etiam Quartus templariorum ecclesijs, plenam remissionem concessit peccatorum qui Pontifex Bonifacium præcessit in Pontificia sede. Bonifacius uero anno M.CCC. Iubileũ ordinauit centenarium non sine maxima ratione: considerauit enim Summus Pont. rei instituendæ præstantiam, ac centenarij numeri uirtutem;*

hoc .n. centenarij numero summa Religione Prisci utebantur: quo Plato etiã est usus numero ad delendam culpam: nam cuilibet iniquitatis gradui, supliciorum decem contribuit, ita læsæ Maiestati diuinæ rependi omnino par fuit, denarij enim rationem centenarius numerus continet: hoc eodem numero ex Platone deprompto usus est Poeta. Aen.6.

Centum errant annos, uolitantq; hæc littora circum.

Denarius numerus ualde celebratur à sacris etiam literis: unde Isaias, De Isa. 5.
cem iugera uinearum faciunt laguunculam unã. Locum istum interpretatur D. Hierony. docens denarium numerum in scripturis sanctis mysticum esse: hac ratione persuasum crederem Bonifacium, centenario numero Iubileum instituisse; Ac etiam cùm uideret maiorem uitæ terminum centũ annorum non esse præscriptum, idq; etiam auth. iuris ciuilis cuius, & ipse Bonifacius peritissimus erat, nam lex ult. eod. de sacrosanct. eccl. cum loquatur de hac re habet; ex supradictis omnibus unum tantummodo terminum suæ uitæ imponimus, idest cursum metas annorum. Voluit igitur idem Bonifacius Iubilei beneficium semel in toto uitæ termino hominibus concedendum, quod postea alijs causis fuit immutatum à Clemente sexto. cum Auinioni, esset an. M. C C C. L. sui Pontifi anno primo. Id autem optimè factum esse ab eo constat. De transl. Inter. Quod eorum Pontificum authoritate factum est Dei auth. factum esse credere debemus: & de pœn. & rem. cum ex eo. Immutatam fuisse constitutionem centenarij Iubilei declarat idem Clemens in sua Bulla, propter naturæ nostræ breuitatis cursum: ex millibus enim hominibus, nec unus ad illum perueniit Psal.89.
suæ vitæ terminum, ut etiam Vates diuinus asseruit; Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus: anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor. Optimè igitur & ex munere pastorali nobis consuluit Clemens Iubileum centenarium in quinquagenarium immutando, non in quadragenarium eadẽ ratione, qua capit. 5. fuit declaratum. Ex cuius rei consideratione id studiosè à plurimis quæsitum constare uidetur, quod legimus in bullis Summ. Pontifi. centum annos, & totidem quadragenas elargiri nobis de uera indulgentia, quid sonent illæ quadragenę. Quibus responderem; Quadragenarium numerum diuinitus pœnitentiæ dicatum esse: unde in ecclesia usus perpetuus fuit (hoc autem in multis constitutionibus memoratur) pœnitenti quadragenariam constitui pœnitentiam, quæ temporis curriculo quadragena dicta est. Has autem quadragenas nobis remittunt Summ. Pont. per indulgentias.

Paulus tandem secundus breuiori tempore celebrandum esse Iubileum de-

creuit uidelicet quolibet uigesimo quinto, forsitam permotus eadem causa, qua & Clemēs. Celebrauit autem suū Iubileum an. M.CCCCLXXV. quo ēt anno mortuus est quinto calēd. Augusti, cui post xi. dies, successit Xystus quartus, Federico tertio Imperatore. Quod aliqui alium Iubileum in anno trigesimotertio dixerint institutum fuisse, qua ratione, uel auctoritate id fuerit excogitatum, indicare non possum: cum hos tantum Iubileos ego uiderim apud eos qui fideliter gesta maiorum retulerunt. Item quod ab alijs dictum est Martinum quintum Iubileum plenarium celebrasse, hoc non nego, sed Iubileum hunc præscriptum determinato tempore, quo institutus est, apud nullum fide dignum reperi. Forsan Iubileus erat, nō pro anno determinato, sed ex illorum numero, qui in dies à Summ. Pont. concedi solent. Octo uerò Iubilei à Bonifacio octauo. Ad Gregorium XIII. numerantur.

Bonifacius octauus annum.	M.CCC.	celebrauit.
Clemens sextus.	M.CCC.L.	
Bonifacius nonus.	M.CCCC.	
Nicolaus Quintus	M.CCCC.L.	
Paulus Secundus.	M.CCCC.LXXV.	
Alexander Sextus.	M.D.	
Clemens Septimus.	M.D.XXV.	
Iulius Tertius.	M.D.L.	
GREGORIVS XIII.	M.D.L.XXV.	

De anno Iubilei trigesimo tertio, dicam, quid uiderim, uel quid in re tanta ambiguitate descripta iudicauerim legi omnes qui Summ. Pontifi. historias descripserunt diligentissimè, Sabellicum, Antoninum, Nauclerium, Supplementum cronicorum, Ioan. Tarcagnotam: nullus istorum hūc Iubileum commemorat; tantùm bullā Papæ Alexandri secundam de re hac mentionem fecisse uidi: quapropter anxius annos supputaui, & institutionem (si est institutio Iubilei plenarij) nullo modo obseruatam fuisse collegi: Gregorius siquidem undecimus, cui hæc institutio est ascripta, Pontifex creatur millesimo trecentesimo septuagesimo primo ann. Cal. Ianuarij. Moritur Millesimo trecentesimo septuagesimo octauo sext. Cal. Aprilis. In quo autem anno uitæ huius Gregorij Iubileus celebratus fuerit, non uideo apud aliquē. Sed demus celebratū fuisse; tamen Millesimo quadrigentesimo anno à Bonifacio Nono, magno hominum concursu, Iubileus Romæ est celebratus, à creatione uerò Gregorij Vndecimi ad Iubileum istum, non fuere nisi uiginti nouem anni. Ideo dicerem forsitan, animum fuisse Gregorij undecimi ordinare, sed morte præuentū constitutionē non fecisse, nec Iubileum celebrasse. Quod uerò Iubileus etiam antiquior sit

Bonifacio, & indulgentias istas plenarias, quas in Iubileo præscribit, etiam alios concessisse Summos; Pontifices eodem Bonifacio priores, sua Bulla declarat ijs verbis; Antiquorum habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorabilem Basilicam principis Apostolorum de Vrbe, concessæ sunt magnæ remissiones indulgentiæ peccatorum. non igitur nouum aliquid instituisse ostendit, sed id quod determinato tempore non erat præscriptum, præscribendum considerasse.

CAP. X.

Iubileus Thesauri spiritualis Ecclesię, Pontificis est dispensatio.

ECCLESIA *Catholica Regnum est Christo Saluatori nostro à patre datum, cuius regni, non est finis. Ita Angelus nuntiauit Beatissimæ Virgini: Regnum ipsius Ecclesiam esse testatur ipse Christus: in consumatione sæculi, mittet Filius Hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala: Nunquid de Regno illo inquit D. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei vbi nulla sunt scandala? De isto ergo Regno eius, quod est Ecclesia, colligentur: sed audiamus aliud Christi dictum; Assimilatum est Regnum Cælorum homini Regi, qui voluit rationẽ ponere cum seruis suis. inquit D. Ansel. Assimilatum est Regnum Cælorum homini Regi, quia sicut iste Rex fecisse describitur, sic in Regno Cælorum fieri decretum est: Regnum Cælorum vocatur etiam in hoc sæculo Ecclesia fidelium: quia dum cælestem in terris vitã pro posse suo ducere fideles student, iam in eis dominus, quasi in Angelis regnat. Homo autem Rex, cui regnum istud assimilatum est, mediator Dei & hominum Christus Iesus intelligitur, de quo aliàs scriptum est; Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere sibi Regnum, & reuerti: Christus igitur Rex: Ecclesia est Regnum, non est regnum sine ærario, quia Respublica est, hẽt ærariũ. Habet fiscũ, quia regnũ est. Hoc ærariũ maximas, sed spirituales habet opes, ad onera eorum subleuanda, qui ære alieno sunt obstricti: maximæ quidem sunt opes; quę sunt quattuor generá diuitiarum spiritualium. Meritum superexcedens Christi Domini nostri, meritum præstantissimum Beatissimæ Virginis, Matris Dei. meritum præciosi sanguinis Sanctorum Martyrum, ac meritum Confessorum, & Virginum. Quòd, merita thesaurus sint declarat D. Augustinus in psalmo 31. seruatum est meritum, factus est thesaurus tuus meritum tuum. Hæc firmissimæ sunt Ecclesiæ opes, hic est thesaurus inexplebilis, res præciosas habens, & latentes, indulgentias, videlicet nostrarum pœnarum.*

Luc. 1. Matth. 13. Matth. 18. Luc. 19.

Quod

Quod uerò indulgentiæ è thesauro ecclesiæ nascantur, communis est totius ecclesiæ catholicæ consensus. Quod confirmauit Concilium Tridentinum Sess. 21. cap. 9. de refor. his uerbis; Vt tandem cœlestes hos ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes intelligant.

Non absque iudicio has dispensat Sum. Pont. siquidem dispensator est effectus, quasi dispensare sit discretè pensare, secus dissipator diceretur. ff. de offic. procura. Cæsa. lege prima. Cum uerò dispensator rei alicuius possit uel maiorē, uel minorē dispensare partē, idem in Iubileo plenariam, imo plenissimam remissionem concedit. Hinc liceat considerare distributionem hanc indulgentiarum, quam Anto. docuit prima par. titu. 10. capit. 3. §. sexto. in plenam, pleniorem, & plenissimam remissionem, quam deridet Dominicus Soto, & non dignum Theologo esse ait: hanc tamen dessumpsisse ex uerbis ipsorum Ponti. credo quo pacto sine iudicio illam damnasse credo. Quid uero sonet ista plenissima remissio, ore proprio publicè declarauit Bonifacius .i. pro ut clauium potestas se extendit. glo. ibi: quo etiam uerbo omnes in re hac Sanctissi. Pontifi. bullæ utuntur.

CAP. X.

Indulgentiarum uirtus à sacris literis est deprompta.

CATHOLICA Ecclesia *pro rerum suarum constantia perpetuò sacrarum literarum testimonio usa est, precipuè in determinanda indulgentiarum uirtute, quæ hæreticis semper odiosa fuit. Quod uero non ex arbitrio Summorum Pontificum fuerint excogitatæ Indulgentiæ, sed ex uberrimo fonte sacrarum literarum emanauerint ijs testimonijs ostendere poterimus. David Vates*
Psal. 118. *diuinus proclamat; Particeps ego sum omnium timentium te, sed quomodo particeps nisi per aliorum bonorum communicationem? Interpre-*
1. Cor. 8. *tentur pertinaces hæretici hæc uerba, si possunt, alia interpretatione accommodata. D. Paul. etiam prima Corinthiorum. Vnusquisque spiritualem abundantiam alterius inopiæ suffragari uoluit, quòd egenis Corinthijs spiritualia aliorum communicarentur, illorum quibus Corinthij subsidia corporalia administrabant, qui pauperes erant, operibus spiritus perpetuò incumbentes. D. etiam Paul. ad Coloss. Nunc gaudeo*
Coloss. 1. *inquit primo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia. Diuus Ambro-*

Ambrosius ita legit; et suppleo reliquias præssurarum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia. Quid pro uerbis istis poterimus exponere, præterquam D. Paulum significasse, cruciatus illos, & incommoda quæ sancti in suo corpore pertulerunt, adhibenda esse cruciatibus, ac morti Christi Saluatoris nostri ad uniuersam Eccesiæ Christi utilitatem? D. Anselmus exponens ait; Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, id est, ea quæ Christus in carne sua minus pertulit, ego in carne mea perfero, pro multiplicando corpore eius, quod est Ecclesia. Passiones enim Christi, non sunt in solo Christo, imò passiones Christi, non sunt nisi in Christo. Si Christum intelligamus caput, & corpus, passiones Christi non sunt nisi in Christo, Si autem Christum intelligamus solum caput, passiones Christi non sunt in solo capite Christo. Nam Apostolus adimpleo ait, ea quæ desunt passionum, non mearum, sed Christi in carne, non iam Christi, sed mea. Patitur inquit Christus adhuc passiones, non in carne sua, in qua ascendit in cælum, sed in carne mea, quæ adhuc laborat in terra: paulo inferius inquit, & D. Ansel. ad communem hanc quasi Rempublicam nostram, quisque pro modulo nostro exoluimus, quod debemus, & passione uirium nostrarum quasi canonum passionum nostrarum inferimus. Idem in toto cõmentario illo: Ex uerbis igitur Apost. dicere debemus; quemadmodum Christi perturbationes, Ecclesiæ sua suffragantur, ita Christi membra sibi inuicem sunt subsidio, dum unius satisfactio, alteri etiam sit auxilio: non tantùm cum in præsenti uersantur luce, sed hoc liberati corpore cũ feliciori fruuntur beatitudine; Nam merita sua tunc thesauro adhibentur Reipublicæ Christianæ, nec uiuis tantùm suffragantur uerùm etiam mortuis dicente D. August. in lib. de cura pro mortuis agenda. cap. primo. Vacare non potest quod uniuersa pro defunctis ecclesia suplicare consueuit, sed suplicare consueuit per merita sanctorum, quorum dispensatio est indulgentiarum distributio. Indulgentiæ igitur sacris literis sunt cõprobatæ, ac à patribus ecclesiæ semper receptæ.

CAP. XII.

Indulgentiarum usus in Ecclesia antiquissimus.

HAERETICI meritum à satisfactione non separantes indulgentiarum uirtutem non recognoscunt: Ideo dicimus Christum nobis meruisse, & pro nobis satisfecisse uberrimè, sancti meruerunt sibi tantùm, non nobis, in satisfactione tamen aliquid fuit debiti excedens grauitatem, quod nobis ab ecclesiæ iurisdictione applicatum est, ne bonum sit absque prèmio aliquo: Indulgentiæ, sunt satisfactoriæ pro nobis pœnæ, pro delictis debitę. Harum indulgentiarum dispensationis figura tubæ illæ argenteæ fuerunt Iubilei, quibus à sacerdotibus proclamata erat remissio cunctis habitatoribus terræ, antiquissimum autem usum in Ecclesia esse remittendi pœnas, nec hæreticus potest negare: quis etenim neget Apostolos, aliquos à debitis pœnis absoluisse? D. Pau. ad Corinth. ei qui incestum obscenum perpetrauit pœnitenti, illam relaxauit pœnam, quam sibi iniunxerat. Hoc idem poterimus cognoscere in usu pęnas imponendi grauiores nascente ecclesia, ut docent uniuersa fere conc. certi sumus etiam Gregorium Sanctissimum, magnas indulgentias contulisse ad suam, quam ex Domo hæreditaria construxerat, ecclesiam, uisentibus. In conc. etiã Carth. decretum est, pœnitentem, secundùm eam diligentiam, qua usus fuerit, in obseruatione pœnarum impositarum citius, uel tardius relaxari, relaxatio hæc non fit nisi per indulgentiarum uirtutem: idem etiam 26. q. 6. & 7. iubetur imponendam pœnam esse secundùm peccatorum, ac personarum qualitatem, ut etiam in articulo mortis existentes, reconcilientur nulla imposita pœna. Quod fit ob ius sedis Apostolicæ, cui proprium est fidelibus relaxare pœnas pro flagitijs debitas. Indulgentia est remissio, indulgere est concedere, extra de dila. c. 2. & c. ulti. in fin. indulgere etiam est aliqua dispensatio. Dec. consi. 113. in princ. fi. nec multum refert: si indulgentiarum uox ferè apud antiquos patres non sit recepta, nam eo tempore relaxationes, absolutiones, reconciliationes dicebant, quas nos indulgentias dicimus, id aũt consultò factum est ab ecclesia, ut uim latentem illustraret rei præstantissimæ: ex quibus constat facillimè aduersus multorum impietatem, indulgentiarum usum in ecclesia semper fuisse receptum, ac eius summam uim esse de iure diuino. Quod à concilijs esse comprobatum ostendo: Conc. Vien. tit. de Abusionibus, abusus reprehendit quæstorum, iubens eos indulgentias concessas indicere, ad quos munus pertinet pastorale. Conc. & hoc Vien. approbauit indulgentias Vrbani quarti par

Iosu. 1.

ti pro sanctißimi Eucharistiæ sacramenti ueneratione. Conc. etiam Later. sub Innoc. Tertio, & habetur etiam de pœn. & remiss. Cum ex eo moderatur excessum prælatorum in conferendis indulgentijs, cum antea quasi ludibrio haberētur claues Ecclesię, & satisfactio pœnitentialis eneruaretur Conc. Constanti. Sess. 8. impietatem damnat, & anathemates mucrone ferit, qui audet Ioannis Vueleff. defendere, qui in 41. arti. indulgentias Ecclesi. prælatorum deridebat. Hæc à Conc. Tridentino confirmata sunt Sess. 25. ijs uerbis; Cum potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit; atque huiusmodi potestate diuinitus sibi tradita, antiquißimis etiam temporibus illa usa fuerit. Sacrosancta synodus indulgentiarum usum, Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum conciliorum authoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet, & præcipit: eosque anathemate dãmat; qui aut inutiles esse asserunt, uel eas concedendi in ecclesiam potestatem esse negant. In his uerbis clarè lucet, usum Indulgentiarum antiquißimum esse in ecclesia: quo iacto fundamento, & plenariam fuisse pœnarum remissionem certum erit, & Iubileum Christianum à Bonifacio Octauo non excogitatum, sed antiquißimum fuisse in Dei, ac Domini nostri Iesu Christi Ecclesia, ad omnium fidelium summam utilitatem ab eodem Domino nostro institutum.

CAP. XIII.

Quo pacto thesaurus ecclesię ex meritis Christi, & sanctorum constet.

QVAMVIS supra aliqua dixerimus de meritis Christi, & Beatißimæ Virginis, ac omnium sanctorum, res tamen postulare uidetur ut pluribus illa explicemus Tantæ uirtutis, ac præstantiæ mors Domini nostri fuit, ut si plures immo innumerabiles mundi fuissent à Deo conditi, adhuc illa sufficiens fuisset pro reconciliatione omnium orbium illorum cùm Deo Opt. Max. in transfiguratione inquit sic Mosch, & Helias loquebantur de excessu quem cõplecturus erat in Hierusalem: Sed mortuus est Dominus noster pro hoc mundo solũ, an igitur tantùm meritũ est superuacaneũ? minimè, ideo Deus qui diues est in sua misericordia hoc recõdit meritũ in sinu, ac thesauro ecclesiæ, quòd habeat ecclesia, & illius Princeps, unde liberalitate utatur in subditos. Summum est hoc meritum quo Christus sibi, & nobis meruit, sibi, cum illum Deus exultauerit, & donauerit ei nomen quod est super omne nomen, nobis meruit gratiam qua reconciliemur Deo patri, gloriam, qua fęlicißimi reddamur. Et quoniam mors Christi fuit etiam

Luc. 9. Ephe. 2. Phil. 2.

satisfactoria, totum hoc meritum in nos etiam redundauit, quorum iustitiæ omnes teste Isaia erant immundæ, hoc igitur ideo in nos redundauit, quò haberemus unde iustitiæ diuinæ debita solueremus. Hæ *sunt opes quibus debita nostra in ann. Iubilei relaxantur, quæ tñ in nostra facultate non sunt positæ, sed in Pontificis arbitrio, ac summa potestate, Plurimorum etiam sanctorũ fuere multi qui pro Christi fide grauiores pertulerint afflictiones, cruciatus, quàm pro offensis Deo factis mererentur (non. n. est homo qui non peccet) Si dixerimus, quia peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, inquit B. Iacobus: ij autem etsi cumulatissimum receperint in cœlis meritum, ex diuina benignitate, quæ semper præmio remunerat supra condignum; tamen illæ superexcedentes pœnæ non sunt super uacaneę, sed reconduntur in ærario ecclesiæ ad piorum subleuationem, intueamur id in Beatissima Virgine nulla peccati labe infecta, tanta ornata charitate, accerbissimas tamen & ipsa erumnas perpessa, tot incommodis excruciata est, an hæc sine mercede relinquemus? Sed quod præmium ei tribuendum censemus cum exaltata sit super choros angelorum? nam mater Dei erat illius igitur collocabimus satisfactiones in fisco Ecclesiæ, quibus debita fidelium Ecclesia soluere possit: ut fiat remissio cunctis terræ habitatoribus. Eadem ratione loqui poterimus de sanctificatis in utero, quemadmodum Ioannes Bapt. Hieremias, & si alij fuerint*

Act. 2. *id genus. Hoc dicemus etiam de sanctis Apostolis, qui à recepto spiritu Sancto postea immunes fuerunt à quauis mortalis peccati labe. quot afflictiones tamen, quot incommoda, quos cruciatus sustinuerunt pro fide Christi? Hęc igitur & omnium sanctorum satisfactoriæ pęnæ Christus recondit in Ecclesiæ ærario, quò nobis egentibus applicetur à Sum. Pontifi. Quòd si obijciant aduersarij satisfactionum harum, præmium esse uitam æternam, respondere possumus, pro uita æterna consequenda man*

Matth. 19. *datorum Dei sufficientem, obseruationem esse. Qui vult ad uitam ingredi, seruet mandata, cui tamen obseruationi mandatorum, & plurimas alias operationes adhibere poterimus, ueluti diuitias omnes, quas possidemus pro Christo dispensando, à cibis abstinendo, nemora, & syluas habitando, castissimos nullo matrimonio abstrictos nos custodiendo, & alia id genus faciendo: hæc nobis non legis uinculo sunt iniuncta, sed consilio data, ac si nobis non conferant aliquid in sanctis fuissent superuacanea. Sed audiamus D. Hierony. in Iouinianum. cap. 35. Numquid omnibus præceptum est ne duas tunicas habeant, nec cibos in pera, æs in zona, uirgam in manu, calceamentum in pedibus, ut uendant uniuersi, quæ possident, & pauperibus elargiantur, & sequantur Iesum, sed*

Thess. 4. *ijs solum qui perfecti esse uolunt.* Ita etiam D. Pau. *Thessalonicenses*

hortaba-

hortabatur. Sic ambuletis, ut abundetis magis: hæc omnia sunt opera satisfactoria, quæ Ecclesia Cath. consueuit appellare opera supererogationis. Sic D. Ansel.lib.cur Deus, & homo. & Host.de remiss.§.penult. & ulti.inquiens de Christo; minima gutta est sufficiens ad remissionem omnium peccatorum: ita de sanctis pro seipso loqui possumus. Io. An. in c. Quod autem. extra de pœn. & remiss. In re hac tamen considerandũ est: Dominum nostrum ipsum solum nobis meruisse, nullus enim est qui alteri merere possit, uno Iesu Christo excepto; à cuius uberrimo maiestatis fonte ad nos plenitudo profluxit omnis gratię: aliorum uero opera non ratione meriti nobis adhibentur, sed per modum suffragij: suffragantur enim nobis: cum debita per istas satisfactiones eorum, soluimus diuinæ Iustitię alterum etiam considerando, quod etsi à pœnis, quas meremur nos subleuent, non tamen à pœna ęterna nos soluunt, sed à pœna temporali, in quam illa æterna ex præscriptione canonum, ex iudicio confessarij permutata fuit absolutis à culpa, uirtute sacramentorum. Hæ igitur opes sunt, hæ diuitiæ, hic thesaurus maximus ecclesiæ à quo indulgentiæ summuntur, quas Summus Pont. omnium fidelium pater humanissimus hoc anno Iubilei cunctis habitatoribus terræ manu Regia dispensabit, ac ab alijs dispensatas confirmabit, quibus debita nostra saluamus cum diuina iustitia, ut ea nobis per Christum donatam fęlicitatem gaudere, ac frui ualeamus.

CAP. XIIII.

Indulgentiæ, cur nobis sint necessariæ.

TRIA in nobis sunt, cum peccatores, & inimici Deo sumus. Culpa, pœna, ac peccati radix, quam fomitem appellamus, fomes, pœnitentiæ sacramento nõ aufertur, cum remaneat etiam post Baptismi sacramentum: qui tamen nobis ad peccatum nõ ascribitur, nec reos non facit, imo ad pugnam nobis relinquitur quò certaminis coronam habeamus: ita D. Paulo dictum est, sufficit tibi gratia mea, nam uirtus in infirmitate perficitur: Diuus Augustinus exponens lib. de uitijs & concupiscentia, lib. primo. cap. 26. In eis inquit, qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam huius (licèt adhuc manentis) concupiscentiæ remittatur, & hoc, ut non imputetur exponit Roff. pœna prorsus non aufertur, sed dictum est; Quantùm glorificauit se, & in delitijs fuit, tantùm dato illi tormentum, & luctum, & alibi. Pro mensura delicti, erit & plagarum modus, apertius etiam Diuus Paulus ad Ro-

2. Cor. 12.
Apoc. 18.
Deut. 25.
Rom. 6.

Rom. 6. *ad Romanos sicut exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra uestra, seruire iustitiæ in sanctificationem: Hoc est quo flagitia ardentius cõmisistis, non minus illorum luite pœnas, nonne & pœnitentiam supponit illorum? Culpa uerò remittitur à sacramento pœnitentiæ instrumentaliter, & à gratia collata à sacramento principaliter, uel formaliter, à Deo uerò tanquam à causa prima. de pœniten. & remissio. gl. ext. lib. 6. de reg. iur.*

Pœna uerò non omnino dimissa est, sed immutata quod cum æterna esset constituta, temporalis redditur ibi: gloss. Vnde instituto Christi scelerum detestationem ecclesia animaduertens, cuilibet pœnitenti graues, & diuturnas constituit pęnas, ut mortale crimen ad minus septennis corrigeretur: & etiam diuturniori tempore si & grauiora essent scelera, sed cum uix pro uno crimine sæpius commisso pœnam luere possimus constitutam, quomodo pro tantis in dies sceleribus commissis, luere poterimus? Ideo Ecclesia imbecillitati nostræ consulens, thesaurum indulgentiarum preciosissimum destribuit, quo ære alieno obstricti, liberemur; & id quo iure legum canonicarum in præsenti luce satisfacere non possumus, indulgentiarum uirtute relaxetur. Quod ostendisse uidetur D. August. de pœni. Nemo potest digno pœnitere, quem non sustineat unitas Ecclesiæ. & de pœn. d. 6. Laboret pœnitens ad unitatem ecclesiæ reuerti, quæ nisi peccatori unitus ecclesiæ succurrat, & quod sibi deest, sua operatione compleat, de manibus inimici non erripitur, quæ unitas est, nisi quod unitati est donatum? Vnde quantum nobis indulgentiæ sint necessariæ cognoscere possumus. Qui uix scintillam habentes charitatis, quotidiano usu facillimè ruimus in omne sceleris genus, à quibus liberari si uolumus utimur sacramento penitentiæ per quod clauium potestate, ab æterna illa pœna liberamus, pęnæ alterius generis subiacendo, quæ etiam tam grauem esse dicimus, ut sæpius proclamemus onus graue uix ferendum cui nisi satisfaciamus hoc tempore, tenemur illas grauiores pœnas in flammis purgatricibus luere, tanto cruciatu ut ibi existentes proclament perpetuis uocibus; miseremini mei saltem uos amici mei, & licèt à iudice arbitrariè puniatur debet tamen ab eo pœna temporalis iniungi secundum mensuram delicti quanta uerò sit hæc mensura, ignorans aliquam remittit portionem, ideo arbitratur de pœna iniungenda, quam credit sufficientem esse, & ita pœnitentiæ arbitrariæ dicuntur: 26. q. 12. tempora, & ext. de pœn. & remissio. quæsitũ. Non negamus tamen talem posse pęnitentis contritionem, esse quod & pęna omnis remittatur hoc uero nobis nõ constat, ut nobis igitur succurrat Pia, & Clemens ecclesia, porrigit thesaurum suum, præbet indulgentias, opes dignissimas, quibus creditori iu-

stitię

flipiæ satisfaciendo usque ad minimum quadrantem, relaxemur in libertatem. Ista est summa indulgentiarum necessitas, quibus tantos euitamus cruciatus. Has easdem indulgentias credimus etiam utiles esse existentibus in purgatorio: hac ratione quod si eleemosinæ, ieiunia, peregrinationes, & alia opera piorum, conferunt maximam utilitatem ijs, qui sunt in purgatorio, ut habemus 13.q.2.c.& ex D. Augu. in Enchir. cap. 12. & à Magistro senten. in 4. distin. 42. possumus igitur etiam eorum pœnas diminuere, indulgentias pro eis recipiendo, & Romam eundo, ea faciendo pro eis quæ facere tenemur pro indulgentiarum acquisitione, hoc sanctissimo anno Iubilei. Utinam tot opulentissimi filij recordentur parentum suorum, quò ab illis cruciatibus liberentur, qui tantis incommodis illos nutriuere, ac etiam hæredes suarum relinquerunt opum.

CAP. XV.

Quis legitimus Indulgentiarum sit dispensator.

PONT. *Maxim. totius Ecclesiæ Principem constitutũ esse, & Vicarium Domini nostri Iesu Christi in terris, firmissimè credendum est à fidelibus quibuscunque. Quod S. Clemens ad D. Iacobum fratrem Domini scribens affirmauit; Notum tibi facio Domine, quia Simon Petrus ueræ fide i merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum Ecclesiæ esse definitus est. Qua de causa etiam ore Domini cognominatus est Petrus. Petra profectò dictus est Christus, à Petra uerò postea cognominatus est Simon Petrus, Christus caput est ac Princeps Ecclesiæ, & Petrus, & Papa Christi Vicarius, Princeps est, & caput Ecclesiæ, & super hanc petram suam Dominus ædificauit Ecclesiam.* Hoc idem D. Hierony. D. *Chrisost. Cyrillus super Ioannem lib. 2. Cyprianus aduersus Nouationes Epist. 26. D. August. sermo. 16. de sanctis, & alij omnes patres utriusque linguæ sunt testati. Unde omnẽ Iurisdictionem Papam in Ecclesia haberi, dicere nõ dubitamus, cui ergo magis dignè ærarij, & thesauri Ecclesiæ cura mãdanda erat, quã Summo Pontifici? Solus hic liberam habet facultatem dispensandi (non totum thesaurum) quia summus est, & infinitus. Sed quantum suo iudicio dispensandum fore necessarium iudicauerit. Episcopi, & partem possunt dispensare, sed à summo Pontifice facultatem dispensandi, quẽ admodũ Iurisdictionẽ recipiunt. Pon. Ma. plenitudinem potestatis hẽt per glo. in cap. Quãto de transl. Epis. de con. præ. cap. præposuit. tanta. n. Summ. Pon. est concessa facultas, ut quæ Deo sunt reseruata, non nisi Summo Pontifici Christi Vicario reseruata uideantur & dispensari possint,*

1. Cor. 10.
Matth. 16.

quo l

quod constat ex eodem c. Quanto, & c.inter corporalia, & spiritualia eam cognoscimus differentiam in tex. & glo. ad hæc tamen confirmanda, hoc unum saluatoris nostri Decretum sufficiens sit. Tu uocaberis Cephas, quod interpretatur caput; Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Pontificis autem si talis est potestas, nonne omnem, & quamlibet pro quouis crimine pœnam remittere poterit, quemadmodum & culpam? D. Hierony. super uerbis illis; Et tibi dabo claues Regni cœlorum ait; Clauis, hæc est potestas ligandi, atque soluendi qua dignos debet recipere, & indignos excludere à Regno Dei, in quibus uerbis, quis non uidet apertam rationem? Si Pont. Max. hoc à Christo concessum est, idest excludere à Regno Dei, sua plenitudinis potestate quemlibet, cur & Indulgentiarum uirtute alicui ad cœlum ingressum dare non poterit? Sed potest, & vult paterno affectu thesaurum nobis conferre, ut à pœnis debitis in alio sæculo liberemur. Sub ordinatus enim iudex conformis esse debet primo iudici. Christus est primus iudex. Papa est subordinatus, & uicarius, vult Christus nos etiam à pœnis absoluere; Vade, illi dixit, noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, extra de transl. Ep. cap. inter corporalia. & de homicid. cap. pro humani. lib. sexto. Christus Saluator noster eis crimina humanissimè dimisit, qui de eis dolentes ueniam petebant. Papa, & ipse vult ueniam illis dare, & à pœnis liberare, qui à culpa sacramento pœnitentiæ absoluti, omni pietate Romam ibunt, ædes Apostolorum uisitabunt, ac omnia obseruando quæ iussa sunt per uirtutem Sanctissimi Iubilei consequendã: ut securius fideles à peccatis se custodientes, omne studium in Dei pietatem intendant. De Episcoporum facultate conferendi indulgentias non est locus loquendi, cum mens fuerit de Iubileo loqui, solum in sinu & potestate Papæ collocatus. Hoc unum dicam: Pontificem indeterminatam habere communicandi Indulgentias facultatem: Episcopos uerò determinatam, & cum à Papa omnis Iurisdictionis facultas tanquam à fonte sit, ideo primum indulgentiarum dispensatio Papæ conuenit, cui soli Iubilei promulgatio commissa est. Anton. prima part. titul. 10. §. sexto. de Indulgentia Iubilei.

Matth. 16. Matth. 16. Ioan. 8.

CAP. XV.

Causa, cur Iubileus Romæ sit à Summ. Pont. præscriptus.

CONSVEVIT *Pont. Max. Indulgentias aliquando indeterminato loco donare, quouis tempore: Aliquando pro loco, & tempore determinato, quemadmodum Leo* Decimus *concessit plenariam Indulgentiam adeuntibus ædes D. Annuntiatæ Florentiæ die* Natiuitatis *B. Virginis à primis uesperis ad occasum solis eiusdem diei Natiuitatis. Quandoque concedit indulgentias pro certis operis executione, ut in bello gerendo aduersus hostes fidei Christianæ: aut pro redemptione captiuorum, ac pro alicuius loci subuentione. Iubilei uerò munus plenissimum anno præscripto, loco determinato, & certis ritibus, à Pontifi. concedi debet, propter similitudinem Iubilei antiquæ legis, de quo diximus in Capit. VII. Romæ autem est institutus pluribus de causis. Primùm, ut fideles obseruantiam, & pietatem in Apostolicam* Sedem *conseruent perpetuò. Quæ Sedes Apostolica Romæ originem habuit. Romæ etiam institutus fuit ad honorem Sanctorum, ac uenerationem in mentibus Christianorum augendam. Cum inter omnes orbis partes Sancti Romæ, tot cruciatus, afflictiones, tormenta, & mortem summa constantia pro fide Christi illustrauda sustinuerint. Principes Ecclesiæ Christi præsertim D.D. Petrus, & Paulus, tot alij Sum. Pontifices usque ad Constantini Magni tempora. Quis tam inhumanus erit, qui sepulchra tot uirorum sanctorum uidens non doleat Christianorum desidiam, qui fidei Christianæ splendore neglecto, sanctorum martyrum pluribus in huius orbis partibus gloriã, reliquias, & ritus à Turcis impie conculcata esse permittant? Qui uirtutem illam, ac summam militiæ Christianæ constantiam: ita negligunt, ut effœminati Domi tanto Christiani nominis dedecore sedeant? O tempora, o dies omni timore plenos, utinam resipiscant Christiani: utinam redeant ad illam pristinam pietatem. Ecce nunc, tempus acceptabile, tempus sanctissimi Iubilei: sed unde digressi sumus, redeamus. Romæ celebrandus est Iubileus, cuius etiam Maiestas in toto orbe celebratur propter diuersarum natiounum concursum, propter Religionem cuius ipsa caput est, & mater, propter Sedem Pontificiam, propter honorem Apostolorum Petri, & Pauli Ecclesiæ Catholicæ principum. Romam uenire debent omnes nationes ut Patrem omniũ Christianorum uisant, salutent, pedes sanctissimos osculentur, & ab eo. Apostolica benedictione recepti, in suas regiones alacriori animo culpis, & pœnis liberati redeant. Quæ utilitas uerò a Sanctissimi Iubilei uirtute*

1. Corin. 6.

tute, acquirenda sit à nobis, & quid religiosè obseruandum sit, ex Bullarum sequentium lectione, unusquisque cognoscere poterit.

2.Par.30. *Roma, Sanctuarij locus est. Tradite manus uestras Domino, & uenite ad sanctuarium eius, quod sanctificauit in æternum.*

CAP. XVII.

AD REI clariorem notitiam Bullas Sanctissimorum Pontificum adscribere uolumus: quò quisque aperte cognoscat, quæ in hoc anno fuerint præscripta cupienti sanctas Iubilei consequi indulgentias.

BVLLA SANCTISS. PATRIS D. BONIFACII PAPAE OCTAVI. M. CCC.

ANTIQVORVM habet fida relatio, quod accedentibus ad Basilicam Principis Apostolorum de Vrbe, concessæ sunt remissiones magnæ, & indulgētiæ peccatorū. Nos igit̄ qui iuxta nostri officij debitum salutem appetimus, & procuramus libentius singulorum huiusmodi indulgentias omnes, & singulas ratas, & gratas habentes, eas auctoritate Apostolica cōfirmamus, ac etiam innouamus, & præsentis scripti patrocinio cōmunimus: ut nunc Beatissimi Petr. & Paul. Apostoli eò amplius honorarentur: quo ipsorum Basilicæ de Vrbe deuotius fuerint à fidelibus frequentatæ: & fideles ipsi spiritualium largitione munerū ex huiusmodi frequentatione magis sentiant se refertos: Nos de omnipotentis Dei misericordia, & eorundem Apostolorum meritis, & authoritate confisi, de fratrum nostrorum consilio, & Apostolicę plenitudine potestatis, omnibus in præsenti ann. M.CCC. à festo natiuitatis Domini nostri Iesu Christi præterito prox. inchoato: & in quolibet anno centesimo secuturo, ad Basilicas ipsas accedentibus, reuerenter uerè pœnitentibus, & confessis: uel qui uerè pęnitebunt, & confitebuntur in hoc præsenti, & quolibet centesimo anno secuturo, non solùm plenam, & largiorem, immo plenissimam omnium suorum concedimus ueniam peccatorum: statuentes ut qui voluerint huiusmodi indulgentiæ à nobis concessæ esse participes, si fuerint Romani ad minus triginta diebus, cōtinuis, seu interpolatis: & saltem semel in die. Si uerò fuerint peregrini, aut forenses, simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant: unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiā efficacius consequetur, quo ipsas Basilicas amplius, & deuotius frequentabit. Nulli ergo, &c. Datum Romæ.

Sanctiss. Patris D. Clementis Sexti, Bulla pro anno quinquagesimo.

VNIGENITVS Dei filius de sinu patris in uterum dignatus est descendere matris, in qua, & ex qua nostræ mortalitatis substantiam diuinitati suæ, in suppositi unitate, ineffabili unione

coniunxit, id quod fuit permanens, & quod non erat assummens, ut haberet unde hominem lapsum redimeret, & pro eo satisfaceret Deo patri. Vbi enim uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem reciperet filiorum. Ipse nanque factus nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio: non per sanguinem hircorum, aut uitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Non enim corruptibilibus auro, & argento, sed sui ipsius agni incontaminati, & immaculati precioso sanguine, nos redemit: quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad uerbum, pro redemptione totius humani generis sufficisset, sed copiosè, uel ut quoddam profluuium, noscitur effudisse, ita ut à planta pedis, usq; ad uerticem capitis, nulla sanitas inueniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec superuacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti ecclesiæ acquisiuit, uolens suis thesaurizare filijs pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum: non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum cœli clauigerum, eiusque successores suos in terris uicarios cõmisit fidelibus salubriter dispensandum: & proprijs, & rationabilibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm specialiter (pro ut cum Deo expedire cognoscerent) uerè pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum: ad cuius quidem thesauri cumulum, Beatæ Dei genitricis, omnium electorum à primo iusto, usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur: de cuius consumptione, seu minutione, non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita, quam pro eo, pro quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Quod fe.re. Bon. Papa Octauus prędec. enim piè (sicut indubiè credimus) considerans, & attenta meditatione reuoluens, quantum apud homines gloriosi Principes terræ Pet. & Pau. per quos Euangelium Christi Romæ resplenduit, & per quos ecclesia religionis sumpsit exordiũ: qui facti Christiani populi, per Euangelium genitores, gregis dominici Pastores, fidei lucernę. Ecclesiarum columnæ, præ cæteris Apostolis, peculiati

culiati

culiari quadam prærogatiua in ipso saluatore fidei, uirtute præcellunt. Quorum uni S. Apostolorum Principi, sicut bono dispensatori, claues regni cœlorum commisit, alteri, tanquam idoneo doctori magisteriũ ecclesiasticæ eruditionis iniunxit. In speciali ueneratione haberi debeant, & debita honorificentia uenerari, pro ipsorum memoria recolenda crebrius, & reuerentia à cunctis Christi fidelibus eis deuotius adhibenda, ipsorumq; patrocinio fauorabilius assequendo inconsumptibilem thesaurum huiusmodi pro excitanda, & remuneranda deuotione fidelium, uoluit aperire: decernens de fratrum suorum consilio, ut omnes qui in anno à Natiuitate domini M. CCC. & quolibet anno centesimo, ex tunc secuturo, addictorum Apostolorum Basilicas de Vrbe accederent reuerenter, ipsasque si Romani, ad minus triginta, si uero peregrini aut forenses fuerint, quindecim diebus continuis, uel interpolatis saltem semel in die, dum tamen uerè pœnitentes sint, & confessi existerent, personaliter uisitarent, suorum omnium obtinerẽt plenissimam ueniam peccatorum. Nos autem attendentes, quod annus quinquagesimus in lege Mosaica (quam non uenit Dominus soluere, sed spiritualiter adimplere) Iubileus remissionis, & gaudij, sacerque dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur quodquè ipse quinquagenarius numerus in testamento ueteri quidem ex legis datione, nouo ex uisibili spiritussancti in discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio singulariter honorarur. Quodque huic plura, & grandia diuinarum adaptantur mysteria scripturarum, & clamorem peculiaris populi nostri Romani, uidelicet hoc suplicantis humiliter, ac nos ad instar Moysi, & Aaron; per proprios, & solemnes nuntios ad hoc destinatos, specialiter orantis pro toto populo Christiano, & dicentis; Domine aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ uiuæ, desiderantes benignius exaudire, non quidem ut sicut illius Israelitici populi indurati cesset murmuratio: sed ut istius prædilecti populi, & cunctorum fidelium augeatur deuotio, fides splendeat, spes uigeat, charitas uehementius incalescat. Valentesquè quamplurimos huiusmodi indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum respectu, propter uitæ hominum breuitatem, ualeāt ad annum centesimum peruenire, de fra.n.con.prædictam concessionem indulgentiæ, ex supradictis, & alijs iustis causis, ad annũ quinquagesimum duximus reducendam. Statuen. de fra.no.con.prædictorum, & Apostolicæ plenitudine potestatis, ut uniuersi fideles, qui uerè pœnitentes, & con-

fessi in anno à Natiuitate eiusdem. M.CCC. Quinquagesimo proximè futuro: & deinceps perpetuis futuris temporibus de quinquaginta, in quinquaginta annis prædictas eorundem Pet. & Pau. Apost. Basilicas, & Lateranen. ecclesiam quam inclytæ recordationis Constan. postquam per Beatum Siluestrum, sicut per eosdem Apostolos Deo reuelante cognouit: renatus fonte baptismatis fuerat, & à contagio lepræ mundatus, in honorem Saluatoris construxisse: quamque idem beatus Siluester nouo sanctificationis, & chrismationis genere dedicasse legitur: & in cuius ecclesiæ parietibus, præfati Saluatoris imago depicta primam toti populo Roma. uisibiliter apparuit deuotius ueneranda, quam ex his, & alijs certis & rationabilibus causis, ut ipsa ecclesia pariter indulgentiæ prædictæ priuilegio diceretur, & deuotus ab eodem Saluatore, qui in præfactis Apostolis mirabiles prædicatur, eorum meritis, & precibus indulgentiæ mereatur percipere largitatem, in hoc censuimus uenerandam, causa deuotionis modo prædicto uisitauerint, plenissimam omnium peccatorum suorum ueniam consequantur: ita uidelicet, ut quicunque uoluerint Indulgentiam huiusmodi assequi si Roma. ad minus triginta, si uerò peregrini aut forenses, modo simili quindecim diebus ad prædictas Basilicas, & ecclesiam accedere teneantur: Adijcientes, ut ij etiam qui pro ea consequenda, ad easdem Basilicas, & ecclesiam accedent, & post iter arreptum, impediti legitimo quo minus ad Vrbem illo anno ualeant peruenire, aut in uia, uel dierum prætaxato numero non completo, in dicta Vrbe decesserint uerè pœnitentes (ut præmittitur) & confessi, eandem indulgentiam consequantur. Omnes nihilominus, & singulas indulgentias, per nos uel prædecessores nostros Roman. Pont. tam prænominatis, quàm alijs Basilicis, & ecclesijs de dicta Vrbe concessas, ratas, & gratas habentes, ipsas auth. Apostol. confirmamus, & approbamus, ac etiam innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reductionis, constitutio, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & dictorum Pet. & Pau. Apost. sese nouerit incursurum. Da. Auin. Sexto Cal. Pont. no. anno primo.

Bulla

Bulla Sanctisſi. D. Sixti Quarti, pro anno uigeſimoquinto.

QVemadmodum operoſi, vigiliſq; paſtoris ſolertia, oues ſuæ cuſtodiæ deputatas curat à ferarum præſeruare incurſibus, & ad ſtatum proſperũ fœtu multiplicato, producere: ita quoq; & nos (quibus diſpoſitione ſuperna, uniuerſi gregis dominici ſolicitudo cõmiſſa eſt) & ſupremis deſideramus affectibus, & ſtudijs nitimur indeſeſsis, cũctos Chriſti fideles quos à iuſtitiæ ſemita, hoſtis humani generis diabolica fraude aduertit, depoſita peccatorũ ſarcina ſuo reconciliare auctori: ut æternę fęlicitati, præmijs noſtri Redemptoris ineſtimabili charitate media potiantur, fiatque noſtræ operationis miniſterio, utilitate publica ſuadente, etiam per gratiarum ſuſceptionem, quod eorum ſaluti conueniat, atque noſtra, & prædeceſſorum noſtrorum ordinationes ſalubres debitis effectibus mancipentur. Olim ſiquidẽ, fęlicis recordationis Paulus Papa Secundus, prædeceſſor noſter, rationabilibus cauſis, tũc expresſis inductus, de uenerabiliũ fratrũ noſtrorũ, tũc ſuorũ de quorũ numero tunc eramus cõſilio, ann. Iubileũ ad breuius tempus prouida moderatione reducens, illũ ad ann. uigeſimũquintũ Apoſt. author. reſtrinxit, ac uoluit, ſtatuit, & decreuit ex cauſis prædictis, quod ſingulis 25. annis Iubileus annus prædictus celebrari debet: quodque ann. Domini. M. CCCC. LXXV. futuro, uidelicet à Vigilia Natiuitatis Dñi noſtri Ieſu Chriſti, idẽ annos Iubileus inciperet & ut ſequitur finiretur: ac uniuerſi, & ſinguli utriuſq; ſexus fideles, qui Beatorũ Apoſt. Pet. & Pau. Baſilicas, Lateranen. ſi quoquè, & Sanctæ Mariæ Maioris almæ Vrbis Eccleſias, & ſtatutis diebus deuotè uiſitarent, & omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſsiones conſequerentur, quas idem Pont. ſuiq; prædeceſſores anno Iubileo huiuſmodi Baſilicas, & Eccleſias prædictas uiſitantibus, deuotè conceſſerunt per quaſdã primò, & deinde nos qui dicto prædeceſſore, ſicut Domino placuit, ſublato di medio, fuimus diuina diſponente clementia, ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, & per alias noſtras literas eiuſdem Pauli prædeceſſoris ordinationem, uoluntatem, & ſtatum, ac omnia, & ſingula in eiuſdem ſuis literis contenta, de fratrum eorundem conſilio approbantes. Similiter ſtatuimus, & ordinamus, quod Iubileus prædictus, cum eiſdem indulgentijs, & remisſionibus plenarijs peccatorum anno proximo futuro à Vigilia Natiuita-

uitatis eiusdem incipere, & ut sequitur, continuari deberet: pro ut in singulis literis prædictis (quarum tenorem præsentibus habe ri uolumus pro expressis) plenius continetur. Verùm quia postmodum tam nos, quàm idem Paulus prædecessor noster, dum in humanis ageret, animarum saluti fidelium intenti, multorum principum, & aliorum Christi fidelium, ac deuotarum personarum pulsati precibus, diuersas indulgentias, & peccatorum remissiones plenarias, nonnullis ecclesijs, monasterijs, & piis locis, duximus concedendas, propter quas, populorum forsan concursus, ad basilicas & ecclesias antedictas retardari, aut ipsius anni Iubilei celebritas minui, uel intermitti posset, cum animarum non modico detrimento. Nos qui uniuersorum credentium profectibus, & saluti proficere ex debito ministerij pastoralis abstringimur (ne propter aliarum indulgentiarum hactenus à nobis, seu eodem Paulo, uel alijs prædecessoribus nostris concessarum huiusmodi effusionē, hoc sanctum opus, ac remissionis, & gratiæ annus Iubileus intermittatur: aut fideles ipsi à tanto munere reddantur expertes) remedijs opportunis prouidere, uolentes, omnes & singulas plenarias, etiam ad instar Iubilei, ac etiam commutandi uota, aut super eis, & male ablatis incertis, aut per usurariam prauitatem, uel aliū illicitum modum extortis, dispensandi, & componendi, aut illa sub certis modo & forma remittendi, & deputandi confessores, cum potestate absoluendi, etiam in casibus se.ap.reseruatis, facultates, concessiones & indulta à nobis, & eadem sede, uel illius authoritate quibuscunque ecclesijs, monasterijs, hospitalibus, & pijs locis, uniuersitatibus, fraternitatibus quibuslibet, tam in perpetuum, quàm ad certum tempus, in uita, seu mortis articulo, quouis modo aut quauis causa, quomolibet concessas, & concessa, & in posterum forsitan concedendas, uel concedenda, authoritate apost. tenore præsentium, de apo. potestatis plenitudine, usque ad nostrū, & eiusdem sedis beneplacitum suspendimus, illasq; durante beneplacito nostro, & sedis prædictæ suspensas esse uolumus, nec interim alicui suffragari: indulgentijs tamen basilicarum, & ecclesiarū dictæ Vrbis, in suo plenario robore durantibus. Districtius inhibentes, alias indulgentias (præter istas duntaxat) in locis publicis, uel priuatis, prædicari, aut nunciari; earumque prætextu, à quæstoribus aliquid exigi quoquo modo. Quinimo quæstores, & prædicatores quoscunque per locorum ordinarios, à prædicationibus, & quæstis huiusmodi faciendis, uolumus & mandamus, præ-

sentium

ſentium authoritate arceri, ſub cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, de quibus uiſum, fuerit opportunum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſuſpenſionis, inhibitionis, mandati, & uoluntatis infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac B. Pet. & Pau. Apo. eius ſe nouerit incurſurum. Tybure, ann. incarnationis dominicæ. M. CCCC. LXXIII. Quarto Cal. Septem. Pontificatus noſtri anno tertio.

CAP. XVIII.

BVLLA uerò Sanctiſsimi Pauli Secundi non reponitur in Ex. nec eam habui, ideo illam nō reſcripſi. Sed ad rei illuſtriorem notitiam, aliam addo Bullam, quam D. Albericus à Roſate, qui Romæ fuit tempore Clementis Sexti ſcripſit in ſuo dictionario; quæ hæc eſt.

Militantis eccleſiæ Romanus Pōtifiex, Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor diuina prouidentia caput effectus, & inter oēs homines ſupremus exiſtēs, plenitudinēobtinet poteſtatis eiſdē Pe. Apo. ſuiſq; ſucceſſoribus commiſit, ut ipſorum ſtabilitate, fidei in Chriſtiana Religione firmatæ, eorumque mentes ad ſalutis opera ſuæ accederent deuotioni. Nos itaque Redemptoris noſtri locum in terris (quamquam indignè) tenentes, & eius Apoſtoli effecti diſponente Domino (licèt immeriti) ſucceſſores: ad honorem Dei, & B. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & exercitationem eiuſdem fidei, ac gregis Dominici cuſtodiam, & cuſtodia ſoliciti, exhortati uigilijs, iugis attentione cogitationis intendere, ut animas ipſorum Deo cooperante diuina gratia uaſſallatus dudum, ſi quidem fęlicis recordationis Bonifacius Octauus Papa prædeceſſor noſter omnibus in quolibet anno centeſimo ad ipſorum B. Pet. & Pau. Baſilicas de Vrbe, ſi forēt Romani ad minus triginta, ſi uerò peregrini, & forenſes quindecim diebus continuis, uel interpolatis, ſemel in die reuerenter accedentibus uerè pœnitentibus, & confeſsis, uel qui pœniterent, & confiterentur in anno prædicto, non ſolùm plenam, & largiorem, immo pleniſsimam conceſsit ueniam peccatorum: ſanè licet idem prædeceſſor noſter intentione pura motus (ut credimus indulgentiam huiuſmodi ad annum centeſimum, qui ſui tempore accidit, & ſucceſsionis tempore accidit, credebatur, limitauerit. Et pro illo centeſimo ſuo tempore accidente magnus fructus accreuerit popu-

so Christiano. Secuturis tamen annis centesimis propter humanā debilitatem naturæ, quæ dietim debilior redditur, paucissimi homines ad annum centesimum peruenirent uitæ suæ: & etiam si aliquis peruenit, in tali ætate labores non possunt commodè sustinere itinerum corporalium: præsertim de longinquis regionibus uenientes: paucis ex dicta indulgentia, & concess. centenaria fructus credatur uerisimiliter prouenire. Thesaurus enim ecclesiæ preciosus de quo indulgentiæ huiusmodi concedunt, quam benedictus Dei filius in sua beatissima passione, quam ad redemptionem humani generis uoluit sustinere, Christianis omnibus congregauit, cunctam amaram mortem permisit: pro qua redemptione gutta unica sui sanguinis suffecisset, pro quo Christi fidelibus potest dispensari utiliter: inutiliter conseruatur: de fide etiam, quanto plus de ipso thesauro indeficienti fideliter dispēsando recipitur, tāto uberius augetur. Considerantes igitur, quod uita hominum quinquaginta annorum ut plurimum sit communis, & quod in nulla ætate possunt homines se in corporis laboribus exercere eisdem, secundùm communem cursum uitæ omnium, possit fidelis quilibet semel in uita sua cooperante diuina gratia lucrari indulgentiam generalem, si de centesimo in annum quinquagesimum mutaretur. Attento præterea quod Deus quinquagenarium numerum quem in gestis suis elegit, uidetur sanctificasse specialiter & etiam cōsecrasse: fuit etiam electus in lege Mosayca cum dicit: Sanctificabis annum quinquagesimum. Ipse enim est annus Iubileus, idest remissionis, in quo remittebantur debita: reuocabantur exules, amissa hæreditas reddebatur, seruus à iugo seruitutis liberabatur. Quæ quidem proprietates qua erant temporaliter in illo Iubileo quinquagesimo figurato, in ueteri testamento ualde competuntur spiritualiter his, qui in remissionibus indulgentiarum generalibus à Summo Pontifi. conceduntur. Rursus quinquagesima exultationis à Pascha usque ad Pentecostem, & Quinquagesima afflictiones à Dominica quinquagesimæ usque ad diem Paschæ, & quinquagesima glorificationis à sabbatho in albis, usque ad sabbathū post Pentecostem uoluit celebrari. Ideoque tamen per præmissa, necnon nulla alia diuina exempla quæ in ueteri, & nouo testamento apertissimè colliguntur, & his ualde probabiliter adaptantur, quare propter efficacissimas rationes uidetur consonum rationi, & saluti fidelium expedire, quòd annus centesimus per dictum Bonifacium prædecessorem nostrum in concessione suæ generalis indulgentiæ insti-

institutus, in annum quinquagenarium conuertatur, & sic figura conueniat ueritati, & actus nostri diuinis actibus confirmentur. His igitur, & pluribus alijs rationibus, & exemplis dignis studija excitati, & feruore deuotionis accensi, dictos gloriosos Principes fidei Christianæ Petrum, & Paulum, pro quibus Christi Euangeliũ Romæ resplendet. Ipsius patres, & ueros pastores effectos, qui ipsam Vrbem cruore precioso martyrij Christo sponte consecrarunt, & illam gloriam promeruerunt, ut sit gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & Regia per sacramenta. B. Petri sedem totius orbis caput effecta, honorare, & honoris nitescere præconijs, & colere sacræ dignitatis insigniis affectantes, cũ fratribus nostris nonnullis ecclesiarum prælatis, & in sacra pagina magistris, & quibusdam utriusque iuris proffessoribus, & nostri palatij auditoribus deliberatione præhabita diligenti, de omnipotentis Dei misericordia, apud quem est copiosa redemptio, & Beatissimæ Virginis Mariæ, Beatorum Apostolorum prædictorum, & ipsorum authoritate confisi, ad honorem Dei, & ipsorum Apostolorum, exaltationẽ fidei, & salutem populi Christiani, de ipsorum fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, centenarium numerum per dictum prædecessorem nostrum Bonifacium ordinatum, in quinquagenarium numerum commutantes. Omnibus anno quinquagesimo proximè futuro, à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi, & in quolibet alio quinquagesimo ex tunc secuturo, Basilicas ipsas uisitantibus reuerenter, ac uisitare uolentibus itinere cã arrepto mortis, uel alieno legitimo impedimento præpeditis taliter tamen quòd intra annum ipsum illuc accedere nequiuerint, uerè pœnitentibus, & confessis, siue Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aut Abbates, uel alij quicunque prælati, aut priores, uel Religiosi, per ipsos religiosos superiorum suorum petita licentia, & obtenta, uel non obtenta: aut quiuis alij clerici, uel laici cõditionis cuiuscunque extiterint, non solùm plenam, & largiorem, sed etiam plenissimam suorum omnium concedimus ueniam peccatorum, statuentes, ut quicunque uoluerint huiusmodi indulgentiæ à nobis concessæ esse participes, si fuerint Romani ad minus triginta diebus continuis, non interpolatis, saltem semel in die, si uerò peregrini fuerint, aut forenses modo simili diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant, unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiã ipsam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas, & cum eis Lateran. Sanctæ Mariæ Maioris in Vrbe, necnon Sancti Laurentij foris

muros Vrbis eiusdem ecclesias amplius,& deuotius: uoluerint frequentare: per præsentem autem concess. alijs remissionibus & indulgentijs ante, uel post dictam concessionem Bonifac. prædecessoris nostri præfatis Basilicis concessis, non intendimus in aliquo derogare: quinimo omnes, & singulas ratas, & gratas habentes authoritate Apostolica ex certa scientia, & præsentis scripti patrocinio commonuimus. Exultet itaque de tanto munere plebs fidelis, & sæpe confess. & pœnitentiam ut peregrinationem præfatam peragere, & plenam indulgentiam præparet, ut mereatur in aulam ingredi cœlestem, similiter & beatam uitam cum electis Dei deducere mereatur: Datum Auinion. anno Domini. M.CCCXLII.

Bullam aliam conscripsit idem Albericus quam Romæ uidisse fatetur, & Roma detulisse.

CLEMENS Episcopus &c. ad memoriam reducendo, ad caussam illius gratia Deus pater filium suum de cœlo misit ex alto atque ait ipse; Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat, ac etiam Beati Gregorij uerba ueritatis dicentis, tot animam gloriam paradisi credimus ascensuras, quot Angeli remanserunt post superbentium Angelorum, uel quot Angeli mali cecidere. Et cum natura humana semper ad malum sit prompta, adeo ut omnis quippe caro corruperit uiam suam super terram: Misit Deus filium suum incarnari, ut homo qui peccauerat, ad cœlestia regna reuocaret, qua ex causa gaudent Chori Angelorum: nos consortes, & conciues eorum fieri: quia pro culdubio tunc uerificatur, cum peccator ad pœnitentiam reuocatur. Superba nanque natura sicut habet unde paradisi portam declinet disgrediendi, ita habet unde illam inueniat uirtutibus inhærendo: ad sedes uerò quibus Angeli per superbiam sunt priuati, per humilitatem conseruantur ex parte parentibus propagando. Sic enim Deus noster Iesus Christus plusquam sitiens Ceruus ad fontes aquarum, ut peccatores perueniant ad Pascha æternum delitiatum. Item ait ueritas; Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Qua propter nos qui per eundem Dominum nostrum Iesum Christum uices ge-

rimus super terram, debemus ei postposita negligentia cum tremore, atque timore sollicitè uigilare super populum suum nobis commissum, tanquam Vicarius sacrosanctæ Ecclesiæ, ab Altissimo Domino nostro Iesu Christo, Principi Apostolorum fuit commissum, atque concessum; Quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis. Nec est tam sanctus, nec tam iustus, infra ambitum machinæ mundialis, qui sanctitate, æquitate non egeat ampliare. Et postquam populus Christianus, cum ex imperfectione humanæ fragilitatis in tantam incidit miserè calamitatem, medelæ salubris emmendatione, cuius gratia quilibet saluus fieri indigeat. Notificamus ergo populo Christiano uniuerso sanctæ Romanæ Ecclesiæ commisso quæ Christianitatis initium, & fundamentum esse probatur, in qua etiam Basilica Apostolorum Petri, & Pauli. Est constructa, ac etiam eiusdem sanctitatis sepultura honorificata. Hæc est ciuitas illa à Deo electa, & honoris titulo insignita, fundamentum uirtutis, & prædicatores eximiæ humilitatis ab eadem prouidè destinando. Iste est ille, de quo dicit Dominus Noster Iesus Christus; Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram Regibus filijs Israel. Ex hac insuper ciuitate uolens exire Apostolus, qui dixit. Tu es Christus filius Dei uiui, per fidem expulsus, ut uidelicet cederet furiæ Neronis Imperatoris uadens extra ciuitatem; Dominus noster Iesus Christus apparuit, qui eum interrogauit; Domine quo uadis? respondit; Vado Romam iterum crucifigi. Quapropter apparet, quòd hæc ciuitas fuit à Domino Deo electa, ut quæ hactenus fuerat falsitatis, & erroris magistra, fieret postmodum disciplina ueritatis. Nec non de hac ciuitate scribitur, & de ciuitate quam elegit, uenit nobis salus, & uidebant oculi nostri, unde gaudebit cor nostrum.

Hæc est enim uerò ciuitas illa, quam sanguis Apostolorum Petri, & Pauli, & Martini presbyteri, & plurimorum, quorum non est numerus in area Dei præ magnitudine est incertus. Sanctificauit, & uenustate ornata perpetim condecorauit. Asserit enim B. Grego. in dicta ciuitate Romana martyrum pro nomine Christi passorum, & fide catholica augenda corpora ibi requiescere ultra sex milia pro quolibet die anni. O qualis est hæc ciuitas Apostolica, & quantis laudibus extollenda, ubi sedis est Beati

Petri Apoſtoli, & quantis eſt præcon ijs extollenda, & honoribus præferenda. Vbi conſocij ſui Pauli Apoſtoli corpus eſt tumulaum. Cuius os dum amore filij Dei caput truncaretur, Ieſum tribus uocibus, exclamauit, & fons aquæ ſalutaris uſque hodie inceſſanter emanat in eis locis, ubi caput ſacrum ſaltauit. Cum in dicta ciuitate ſit tanta ſpiritualium gratiarum redundantia, decet nimirum, quòd populus qui ambulabat in tenebris, & habitabat in regione umbræ mortis; uideat ibi dicta lumina lucentia in conſpectu Dei: Significamus ergo omnibus filijs noſtris, Regibus, Comitibus, Ducibus, Baronibus, Militibus repromiſsionem æternæ ſalutis eſſe hanc. Quæ per ordinem ſubſequuntur, Noueritis filij cariſsimi, quod uenerunt ad ciuitatem Auinionis, ubi nunc tenemus curiam Romanam: Venerabiles dilecti filij Iacobus Sauelli, Bricius Sauli, & Iacobus de Columna ciues nobiliſsimæ ciuitatis Romanæ, & Sindici totius Senatus eiuſdem; referentes nobis plurima, & quia ſeries uerborum narratione plena erat, incraſtinum mandauimus conſiſtorium conuocari. Et nocte conſiſtorium præexiſtente apparuit nobis in uiſione, quædam reuerenda perſona in manu duas claues gerens, quæ nobis uerba ſequentia dirigebat; Aperi oſtium, & ex eo ignem mitte, quo calefiat, & illuminari ualeat totus mundus. Et in craſtinum celebrauimus miſſam de S. Maria, ut ſi uiſio iſta à Deo erat, iterum appareret, ſi autem phantaſma eſſet, uel illuſio, totaliter euaneſceret. Præmiſſa igitur huiuſmodi oratione, ſecunda nocte uidimus eandem uiſionem. Quare uocauimus fratres noſtros Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & clerum in noſtro palatio coram nobis. Et reſpondentes filijs noſtris ſupradictis Romanis authoritate noſtra, ac Bea. Petri, & Pauli genibus flexis manibus erectis in cœlum os aperimus in hunc modum. Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorū Dei de conſenſu ſuorum fratrū Cardinalium ſecum, gerens claues cœleſtis eccleſiæ; Vniuerſis, & ſingulis prima uice quæ hic audientur, & legentur, affluentur, & largiuntur, quadraginta dies indulgentiæ concedit, cum natura humana ad ſtatum ſenectutis minimè perueniat. Et hoc ratione ſuæ grandis fragilitatis, quæ inceſſanter uerſatur, & de centum in centum annos in Sancta ciuitate Romana ſit Indulgentia plena, & remiſsio peccatorum; Pauci ſint quibus ad dictam decrepitam ætatem liceat peruenire: propter quòd à deſiderio dictæ Indulgentiæ remanent fruſtrati: Auctoritate igitur noſtra, & poteſtate Apoſtolorum Pet. & Pau. qua fungimur ex parte Dei omnipotentis.

Omnibus

Omnibus Christianis uenientibus ad sanctam ciuitatem Patriarcha lem numerando à die, qua alia indulgentiá fuit: & ab ipsa completis annis quadragintanouem, totum quinquagesimum annum, indulgentiæ, & peccatorum remissionis, ut sequitur, impartimur. Quicunque igitur pro dicta indulgentia ad dictam sanctam ciuitatem accedere proposuerit, Illa die qua de hospitio iter arripere uoluerit, possit eligere confessorem, uel confessores, & in uia, & in locis alijs quibuscunque: quibus confessoribus authoritate prædicta, concedimus plenam potestatem absoluendi omnes casus Papales, ac si persona nostra personaliter esset ibi. Item concedimus, quòd qui in uia confessus fuerit, si morte præueniatur, ab omnibus peccatis suis sit immunis, & penitus absolutus. Item uolumus, & ordinamus, quòd omnes Archiepiscopi, Episcopi à superioribus suis, uel à nobis licentiam petere non oporteat: sed suas prouincias exire possint, cum ad prędictam accedere uoluerint ciuitatem. Item ordinamus, quòd de Gratia speciali omnibus Rectoribus, & curatis optátibus accedere ad dictam ciuitatem Patriarchalē, quòd absque sui Episcopi licentia possit ecclesias, & beneficia sua per annum integrum arendare. Et si contigerit eum in uia ab hac luce migrare, quòd talis arendatio pro illo anno habeat roboris firmitatem. Et quod nullus impetrans generaliter, uel specialiter impedimentum afferre debeat sub pœna priuationis & maledictionis æternæ: & nunc prout ex tunc eius gratiam annullamus. Item ordini monachorum nigrorum, & aliorum priuilegium speciale concedimus, quòd ualeant uisitare ciuitatem prædictam, ut indulgentiam consequantur, & si eorū Abbas nolet eos licentiare: ipse monachus corā tribus antiquis possit ipsam licentiā ab eo requirere: & ipse licentiā conferat ueniendi: necnon, & precium uictus & uestitus, & calciamenti ratione accessus & regressus totius anni debeat sibi ministrare. Quod si contrafecerit, maledictionem B. Petri, & Paul. Apostolorum imprecamur eidem: & ab omni officio priuamus perpetuò. Item moniales (si tamen qui eas regunt, uisum fuerit licentiandas) licentiam habeant suprascriptam. Si autem rectores earum, aliqua ratione iudicauerint eas manere, unum psalterium dicāt qualibet septimana: ut Deus eos qui ad dictam indulgentiam accesserint, in sua gratia conseruare dignetur. Volentes, quod & huiusmodi moniales indulgentiam habeant suprascriptam. Item illi qui decrepita senectute, uel ineuitabili infirmitate fuerint prægrauati: si pro itinerantibus CCCC. Pater noster, cum salutatione

tatione beatæ Virginis dixerint dictã indulgentiam habeant pari modo. Si autem (quod aliter) aliqui fures, uel spoliatores, uel latrones itineris, uel quicunque alij, euntibus ad dictam ciuitatem, uel repatriantibus impedimentum, uel quodcunque grauamen directè, uel indirectè iuuando, uel consulendo ausi fuerint: maledictionem Beati Petri, & Pauli Apostolorum se nouerint incursuros. Et nihilominus ne facilitas ueniæ incentiuum tribuat delinquendi, uolumus quod huiusmodi uiolator, seu turbator nisi à nobis, uel Cardinali nostro pœnitentiario: nisi in mortis articulo, præmissi damni illati debita satisfactione absolutionis beneficium ualeat obtinere. Volumus quòd omnes personæ patriæ Romanæ, Campaniæ, Tusciæ, Apuliæ, Calabriæ, & Principatus Barbarius & Italiæ usque ad pedemontes in dicta ciuitate, per unum mensem resideãt, uisitanda qualibet die S. Petrum, S. Ioannem Later. S. Mariã Maio. S. Laurentium extra muros, S. Crucem in Hierusalem, S. Sebastianum, cui dictum fuit per Angelum: in isto loco est diuina promissio: & peccatorum remissio, meritis B. Sebastiani martyris, & Apo. Pet. & Pau. ratione cœmiterij Calisti, quod est ibi, & ratione 174. martyrum ibi sepultorum cum septem Pontificibus, qui pro fide martyrum sustinuerunt. Visitent insuper Apostolum Paulum, qui uerè fuit lucidus fidei prædicatorum prædicator. Prouinciales uerò Aragones, Gallici, Castellani, Catelani, Portugalenses, Nauarenses, Anglici, Vngarij, & cæteræ nationes per quindecim dies in dicta ciuitate residcant, prædictas ecclesias uisitando cum uerò fideles prædicti istam deuotionem compleuerint ostendetur eis mandato nostro Sudarium Iesu Christi: quo uiso ab omnibus suis peccatis sint absoluti, & indulgentiam habeant ab eisdem: nosquè sicut Christi Vicarius reducimus ad statum quo erant die, qua fuerunt baptizati de gratia speciali. Confirmamus insuper, ac solidamus omnes gratias, & indulgentias ducentorum trium Pontificum, qui fuerunt ab Apostolo Petro citra ab eisdem dictæ ciuitate Patriarchali hactenus erogatas, quæ gratiæ, seu indulgentiæ sunt innumerabiles, quantum nobis constat per authenticas scripturas, & doctorum originalia approbata. Insuper de consensu fratrum nostrorum ordinamus, & uolumus, quòd si aliqua persona, à dicta indulgentia rediens instigatione Diaboli alicui peccato consentiat, & in ipso perseuerans contigerit eum mori, ratione peccatorũ quæ antea ommiserit, sit absoluta: & dictam indulgentiam authoritate dictorum Apost. B. Petri, & Pauli, de quinquagenario anno in quinquagenarium

narium præfactæ concedimus ciuitati: istud enim est locale, mirabile, & preciosum, & ab omnibus desiderandum. Si quis autem &c. Hanc Bullam, nec bullatam fuisse, nec etiam confirmatam, nec seruatam in Iubileo à Clemente eeulgato, testatur Albericus eodem in loco: forsitan propter eius prolixitatem, aut propter aliqua in ea concessa, quæ homines audaces re dolore possent, à Pontifi. tamen esse, phrasis illius temporis uidetur confirmare, & cum in ea plurima sint digna pietate Christiana uolumus scribere cum aliis hoc in loco.

Bulla Sanctissimi Patris Nicolai Papæ Quinti anno. M.CCCCL.

NICOLAVS Papa Quintus &c. Præmittit ea quæ in aliis Bullis præmitti solent, quæ non potui legere: inter omnia uerò hæc sunt; Deus omnipotens lapsi hominis uetustatem, nunc diluuio, nunc circuncisione, nunc lege, nũc aliis atq; aliis remediis: Nouissimè per incarnati uerbi mysteriũ in melius innouauit: In cuius aduentũ illuminati nõnulli successores Petri Apostoli Iubilei anni mysteriũ ordinarũt. Et propterea nos ordinamus & approbamus omnia prędicta, & de uenerabiliũ fratrũ nostrorũ Cardinaliũ consilio, ac Apostolicæ plenitudine potestatis statuimus quod omnes uisitantes prædictas quatuor Ecclesias quibuscunq; etiam prauissimis delictis obnoxii, omniũ peccatorũ suorum ueniam consequantur. In fine autem addit quod omnes præparent domino corda sua, & mores in melius reformare conentur, malefactis abstineant, domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatem, & debitum gemitum, per contritionem cordis, & sacrificium, operantibus eleemosinis, & peregrinationibus reconciliantibus, templa sanctorum uisitantes, quorum milia uerè, & innumerabilia corpora una cum grauissimis Apostolis Petro, & Paulo, in alma urbe requiescunt: Qui mortis Christi amore perpensi, eius conspectui semper assistunt, intercessores habere mereantur. Datum Romæ apud S. Petrum anno Domini. M.CCCC.L.

Ne mireris lector si hoc diploma ita laceratum & diminutum habes, quia & ego tale habui à quodam Stephano Notto Mediolanensi, ideo quale accepi, tale etiam tibi illud retuli, cum mihi per temporis angustiam non licuerit illud Roma huc deferri.

Bulla

Bulla Alexandri Papæ Sexti.

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam. Pastoris æterni, qui pro salute gregis dominici in precium immolari non abnuit, uices (licèt immeriti) gerentes in terris, & gregem ipsum nobis diuina dispositione commissum, paternæ considerationis intuitu conspicientes, ac de animarum singulorum fidelium salute solicitè cogitantes, illarumq; periculis accurrentes, ad ea libenter intendimus, ut debemus: per quæ fidelium eorundem salus animarũ ualeat procurari, ipsique fideles hoc sacro anno Iubilei ad almam urbem pro consequenda indulgentia dicto anno pro suorum expiatione peccatorum concessa confluentes, & alij in dicta urbe commorantes, & residentes, illius capaces faciliùs & liberiùs Deo propitio effici possint. Sanè prouidè considerantes instantem annum Iubilei remissionis, & gaudii, ac reconciliationis humani generis nostro piissimo redemptori esse uerè illũ certissimum annum, qui ab ipsa primæua ordinatione fuerat institutus, & in quo omnes quibuscunque etiam grauissimis delictis obnoxii uerè pœnitentes, & confessi, uisitantes beatorum Petri & Pauli Apostolorum basilicas, ac Lateranensem, & Beatæ Mariæ Maioris ecclesias, illarumq; maiora altaria. In quibus uidelicet beatorum Petri & Pauli Apostolorum basilicis corpora gloriosa sunt. Et in ecclesia Lateranensi capita illorum recondita conseruantur, ob passionem domini nostri Iesu Christi, & eorundem Apostolorumque Martyrum, & sanctorum merita, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequuntur. Et propterea à cunctis fidelibus non immeritò maiori deuotione, ac frequentia celebrandum. Volentesque ut Christi fideles ad urbem ipsam de diuersis partibus mundi, pro consequenda huiusmodi plenissima indulgentia confluentes: Et alii in illa commorantes, & residentes, eandem indulgentiam faciliùs ualeant promereri, & ne defectu potestatis absoluendi illos qui aliquibus casibus nobis, & sedi Apostolicæ reseruatis, irretiti forent, illorum animæ illaqueatæ remaneant, debitè prouidere, ipsorumquè, cum semper ad nos in dictis casibus reseruatis recursus haberi nequeat, commoditati, ac animarum suarum saluti paterna charitate consulere. Dilectis filiis infrascriptis pœnitentiariis in dicta Basilica principis Apostolorum deputatis, de quorum prouidentia, integritate, bonitate, & solertia, in his & aliis fiduciam gerimus

timus in dño speciale. Omnes & singulos utriusq; sexus Christi fideles, ad dictá urbé pro cósequenda plenissima indulgentia hmói confluentes,& alios in illa cómorantes, & residentes,qui aliquibus casibus nobis,& dictę sedi reseruatis irretiti forét,in dictis ét casibus ét quantúcunq; grauibus, & enormibus,& ex quauis cá spáliter uel generaliter nobis,& dictæ sedi reseruatis,ét in literis quæ in die cenæ Dńi singulis annis publicati consueuerunt cótentis.Et ét talibus de quibus pńtibus speciale oportet fieri mentioné , Conspirationé. s. in personá uel statum Romani principis,seu sedé prædictá falsitatis literarú,supplicationú, & cómissionú.Apostolicarú, Delationis armorú, & aliorú prohibitorú ad partes infideliú iniectionis manuú violentarú in Episcopos,uel alios prælatos superiores,casibus dútaxat exceptis ad effectú ipsam plenissimá indulgentiá cósequendi,& dicto ann.Iubilei durante in foro cósscientiæ absoluédi,eisq; pńiam salutaré iniungendi plená liberá, & omnimodá authoritate Apostolica,& ex certa scía,tenore præsentiú cócedimus facultaté.Quibusuis aliis personis, & confessoribus secularibus,& religiosis in dicta urbe,& extra muros illius,ac alias ubilibet existétibus, quascúq; facultates in dictis casibus reseruatis, absoluendi à nobis,& sede prædicta,uerbo,uel scriptis forsitá obtinétibus, ét si in eis caueretur exprefsè , quod illis nullatenus uel non nisi sub certis inibi exprefsis, mó & forma,aut cóceptione,uel exprefsione uerború derogari posfit.Ne aliqué dicto anno duráte facultatú prædictarú prætextu,in dictis casibus reseruatis absoluere quoquomodo præsumat,sub excóicationis,& anathematis latæ sńiæ pœna, quá cótrafacientes eo ipso incurrant.Et à qua, non nisi à nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus,præterquá in mortis articulo cóstituti,absolui posfint.Quibusq;,si inobediétes fuerint,ut pręferé prędicationis, lectióis,admistrónis sacrorú,& audiendi cófessióęs, officia, interdicimus,districtius inhibentes,prædicétes,& declarantes apertè,trásgressoribus,& cótéptoribus prædictis,nos grauius cótra eos spúaliter,& téporaliter,prout expedire cognouerimus processuros.Et nihilominus ǫcquid egerint absoluédo,uel alias nullius sint roboris,uel mométi.Nó obstátibus pmissis, ac cóstitutionibus, & ordinationibus Apost.cæterisq; cótrariis quibuscúq;.Studeát igiť oés Christi fideles,ut tenené hoc sacro anno Iubilei corda sua altissimo præparare,mores & uitá in melius cómutare,ab illicitis abstinere Dño per pńiæ doloré,per humilitatis spúm,per cótritioné cordis sacrificiú,cooperantibus eleemosinis,& peregrinatióibus,satis-

facere. Vt basilicas, & ecclesias prædictas, deuotè uisitantes, uerè penitentes & confessi ipsam plenissimam anni Iubilei indulgentiã, & reconciliationem cum pijssimo redemptore nostro per eorum merita, ac bona opera consequi mereantur.

Nomina uerò prædictorum penitentiariorum sunt hæc uidelicet.

Franciscus Episcopus Millopotamen.
Ricardus Trapp. In artibus, & Theologia Magister.
Claudius Catelini ordinis fratrum Heremitarum S. Aug. professor, etiam in sacra Theologia Magister.
Paulus de Curte ordinis fratrum prædicatorum, professor etiam in sacra Theologia Magister.
Andreas Frisner, etiam in artibus, & Theologia Magister.
Ioannes de Maloleone ordinis fratrum minorum, professor etiam in Theologia Magister.
Andreas Oudorp. canonicus Leodien. decretorum doctor, ac in artibus, & Theologia Magister.
Gaspar Peu Archidiaconus maioris Ecclesiæ Vrgollen. etiam in artibus, & Theologia Magister.
Augustinus de Castello eiusdem ordinis fratrum Heremitarum S. Augustini, professor etiam in sacra Theologia Magister.
Philippus de Bodrogh. Archidiaconus Ecclesiæ Stergonensis, etiam decretorum doctor, & in artibus Magister.
Stanislaus Selig. canonicus Cracouien. similiter doctor, omnes in dicta Basilica S. Petri pœnitentiarij.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, inhibitionis, interdicta declarationis, & uoluntatis infringere, uel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ. M. CCCC. nonagesimonono. Tertiodecimo Cal. Ianuarij Pontificatus nostri anno octauo. Io. Mutinen. B. Motini.

Bulla alia eiusdem Alex. Sexti. Quam ex eodem Stephano Notto conscriptam decerpsi, pro Iubilei. anno M. D.

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Inter curas multiplices, quæ nobis ex Apostola-

ſtolatus officio incumbere dignoſcuntur, illam libenter amplectimur per quam uniuerſi Chriſti fideles hoc ſacro Iubilei anno inſtante indulgentias à Romanis Pontifi. prædeceſſoribus noſtris & à nobis pro ſuorum expiatione peccatorum conceſſas uberius ualeāt promereri, ac ad id pro ſuarum ſalute animarum promptius inducantur, & quæ propterea ab eiſdem prædeceſſoribus, & à nobis prouidè emanarunt ad omnium notitiam, ut ipſi Chriſti fideles indulgentiarum huiuſmodi, melius & facilius capaces effecti æternæ ſalutis præmia largiente altiſsimo conſequi poſsint. Cum itaque annus Iubilei remiſsionis & gaudij, ac reconciliationis humani generis noſtro piiſsimo redemptori, qui quilibet anno centeſimo ab illius primæua ordinatione per Fe. Re. Bonifacium octauū inſtitutus, Et deinde Clementem Sextum ad quinquageſimum, ac ſucceſsiuè per Gregorium Vndecimum ad trigintatres, & poſtremò ad uigintiquinque annos per piæ mem. Paulum Secundum Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, propter humanæ uitæ breuitatem reductus fuit, inſtare noſcatur, Sitque uerè ille certiſsimus annus, qui ab ipſa primæua ordinatione fuit inſtitutus, & in quo vniuerſi Chriſti fideles, quibuſcunque etiam grauiſsimis delictis obnoxij, uerè pœnitentes, & confeſsi uiſitando Baſilicas, & Eccleſias almæ urbis, & extra eam deputatas, illarumque maiora altaria, & paſsionem domini noſtri Ieſu Chriſti, ac Apoſtolorum, nec non martyrum aliorumque ſanctorum merita pleniſsimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conſequantur. Et propterea ab omnibus Chriſti fidelibus cum maiori frequentia, & deuotione, non immeritò celebrandus. Cupiamuſque toto cordis affectu animas lucrifacere creatori dictumque annum Iubilei ab ipſis fidelibus, cum omni debita, & ſingulari deuotione frequentari, ac fideles ipſos ad dictam urbem pro reuerentia beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum principum, qui iam martyrio ſuo illam conſecrarunt, & in quorum Baſilicis ſub ipſarum maioribus altaribus illorum corpora glorioſa, & in altari eccleſiæ Lateran. capita recondita conſeruantur, ac indulgentiis dicti Iubilei conſequendis undecunque perſonaliter accedere. Nos qui eiuſdem beati Petri (meritis licèt imparibus) ſucceſſores ſumus, & per alias diuerſas literas noſtras pleniſsimam dicti anni Iubilei indulgentiam literas eorundem prædeceſſorum noſtrorum deſuper emanatas de fratrum noſtrorum conſilio approbauimus, & innouauimus. Ne contingat aliquem ignotare, ſeu dubitare: quo tempore annus iſte Iubilei incipiat, & quæ

aut quot ecclesiæ pro dicta consequenda indulgentia plenissima & quot diebus illę uisitari debeant per nostræ declarationis Oraculũ debitè ptouidere uolentes authoritate Apostolica,& ex certa scientia tenore præsentiũ omnibus, & singulis utriusq; sexus Christi fidelibus per uniuersum orbem constitutis nunciamus & declaramus. ipsum annum Iubilei in uigilia & primis uesperis natiuitatis eiusdẽ D.N.Iesu Christi proximè uenturi inchoare quo tempore portam dictæ basilicæ B.Petri centesimo quoq; anno Iubilei pro maiori fidelium deuotione aperiri solitam astantibus uenerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium Collegio, ac maxima prælatorũ Cleri & populi multitudine propriis manibus aperiemus faciemusq; aperire alias basilicæ S.Pauli,ac Lateran.& Beatæ Mariæ Maioris de dicta urbe ecclesiarum portas etiam de more Iubilei anno aperiri consuetas. Et pro consequenda ipsa plenissima indulgentia basilicas eorundem Apostolorum Pet.& Pau. ac Late. & B.Mariæ Maioris ecclesias illarumq; altaria maiora huiusmodi. Per Romanos ac in dicta urbe commorantes ac residentes triginta per peregrinos uerò & forenses quindecim diebus continuis, seu interpolatis semel in die uisitare debere. Omnes & singulas plenissimas indulgentias per dictos prædecessores dicto anno Iubilei basilicas & ecclesias prædictas uisitantibus concessas de nouo pro conscientiarum eorum fidelium maiori seruitute, ac potiori cautela, authoritate, & scientia similibus approbantes concedentes, & innouantes. Adiicientes quoque, ut hi qui pro consequenda indulgentia huiusmodi, post iter arreptum, uel post præparationem ad ueniẽdum ad dictam urbem per eos factam impediti legitimè fuerint quo minus ad ipsam urbẽ dicto anno Iubilei ualeant peruenire, aut præparati in loco ubi tunc fuerint, & uenientes in uia impediti, si ad prædictam urbem, non peruenerint, quam Romani & alii residentes & commorantes & forenses præfati dierum numero prætaxato, non in dicta urbe decesserint uerè pœnitentes, & confessi eandem plenissimam indulgentiam omnino consequantur. Et ut omnes Christi fideles eiusdem plenissimæ indulgentiæ facilius capaces Deo propitio efficiantur habentq; ad quos in casibus nobis, & sedi Apostolicæ reseruatis, si illis irretiti forent recurrere possint deputauimus in dicta basilica S.Petri minores pœnitentiarios quibus eos in dictis casibus reseruatis absoluẽdi plenam, & liberam pro maiori Christi fidelium, qui ad nos non ita de facili reuerti possent commoditate, ac animarum suarum salute, per alias nostras literas pro-

ut in

ut in illis plenius continetur concessimus facultatem. Et ut animarum salus eo tempore potius procuretur quo magis aliorum egent suffragijs, & quo minus sibi ipsis proficere ualent authoritate Apostolica de thesauro sanctæ matris ecclesiæ animabus in purgatorio existentibus, q̃ per charitatẽ ab hac luce Christo unitæ decesserunt. Et ea quæ dum uiuerent sibi, ut huiusmodi indulgentia suffragaretur meruerunt Paterno affectu, quantum cum Deo possumus succurrere cupientes, de diuina misericordia, ac potestatis Apostolicæ plenitudine, uolumus, & concedimus ut si qui parentes, amici, aut cæteri Christi fideles pietate commoti pro ipsis animabus purgatorij igni pro expiatione pœnarum eiusdem secundùm diuinam iustitiam debitarum expositis dicto anno Iubilei, durante pro reparatione dictæ basilicæ. S. Petri aliquam eleemosinam iuxta dictorũ pęnitentiariorum, uel alicuius eorum: ordinationem dictas basilicas & ecclesias modo præmisso deuotè uisitando in capsa in eadem ecclesia, seu basilica sancti Petri deputata, posuerint ipsa plenissima indulgentia per modum suffragij ipsis animabus in purgatorio existentibus pro quibus dictam eleemosinam pie erogauerint pro plenissima pęnarum relaxatione suffragetur.

Præparent ergo omnes Christi fideles corda sua Domino, & mores in melius commutare conentur à malefactis abstineant, satisfaciant Domino per pęnitentiæ dolorem per humilitatis spiritum per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosinis, & peregrinationibus, ut basilicas, & ecclesias prædictas, in quibus sanctorum millia, & fere innumera una cum ipsis gloriosissimis Apost. Petro, & Paulo, requiescunt, qui mortem pro Christi nomine perpessi eius conspectui, semper assistunt. Deuotè uisitantes uerè pęnitentes, & confessi ipsos gloriosissimos Apostolos, & Sanctos intercessores habere ad Dominum, & plenissimam indulgentiam huiusmodi, & reconciliationem cum piissimo redemptore nostro per diuinam misericordiam, ac eorundem Apostolorum, & sanctorum precibus, & meritis, per quæ eorum bona opera consequi mereantur. Amen.

Iubi-

Iubileus Christianus ab antiqua lege est acceptus.

CAP. XIX.

OMNIUM Patrum Ecclesiæ catholicæ eadem semper fuit sententia, gesta in antiqua lege non propriè, & secundùm Historiam semper esse intelligenda; sed quandoque figuratè, cùm adumbrationes essent, & figuræ quædam noui testamenti. Quod apertissimè uoluit Diuus Augustinus pluribus in locis, præsertim in tertio de doctrina Christiana, ubi multa à sensu literali ad sensum spiritualem reducenda esse docet. Ad cuius rei corroborationem plurima considerare possumus, quæ in ueteri lege per modum Historiæ legere consueuimus, quæ tamen alio sensu à Christo Domino nostro sunt interpretata, ut de serpente Aeneo in stipite à Moseh ex Dei præcepto, collocato; Sicut exal
Ioann. 3. *tauit Moseh serpentem in deserto, ita exaltari oportuit filium hominis; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Illud quoque de Iona obseruandum est; Sicut fuit Ionas in uentre cœti*
Matth. 12. *tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Et Euangelista Lucas recitauit in suo Euangelio. Cùm* Dominus *noster à mortuis ad nos resurrexisset, Discipulis duobus in Emaùs iter habentibus, omnia, quæ in lege scripta erãt,*
Luc. 24. *propter se ipsum interpretanda, clarissimè explicasse.*

Mirari profectò satis non possemus igitur Iubileum rem præstantissimã omnibus expectatissimam non fuisse præfiguratam in ueteri lege ad significandum aliquid præstantius in nouo testamento. Res igitur à Deo præcepta in mente, quò summam perfectionem eius ostenderet, tot circumscriptionibus comprehensa, non ita debuit obscurari, ut non Euangelij Luce clarior redderetur. Quid hoc esset mirabilius dictu? Scio pertinaces, & obstinatos hæreticos, nobis hanc ueritatem profitentibus respondere, in Christo finem habuisse antiquum Iubileum. At quæso, agnus paschalis nonne & ipse in Christo euanuit? Nonne manna? Nonne
Gen. *etiam sacrificium Melchisedech, & cuncta alia eiusmodi? Et tamen res ipsa, quæ per illa significabatur, Eucharistia nimirum uiget: idem de reliquis sacramentis est iudicium. Sic ergo Iubileus non tot circumscriptionibus à Deo ordinatus fuisset, si Christo præsente euanescere debeat: Iu*
Leuit. 25. *bet enim Deus tubas clangere, septimo promulgari mense, cunctis manifestari habitatoribus terræ, annum sanctificatum iubet appellari, an-*

num

num remissionis, annum Domino placabilem. Rem igitur tanti momenti Hebræorum more literaliter interpretabimur? nequaquam. Quapropter (inquit Diuus Hierony. super Epist. ad Galalas capite 14. illa interpretando uerba; Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus rursum seruire uultis). Ideo egena dicta sunt elementa, ac infirma legis Moseb documenta illorum causa, qui post Euangelij gratiam ad ea iterum reuertuntur: antequam ueniret à Patre præfinitum tempus, non tàm infirma appellata fuere, quàm mundi. Denique priusquam Christi in toto terrarum orbe Euangeliũ corruscaret, habuerunt suũ fulgorem præcepta legalia; postquam autem maius Euangelicæ gratię lumen effulsit, & sol Iustitiæ toti mundi se prodidit, tunc stellarum lumen absconditum est. Hoc modo ad Corinthios dixit Apost. Nec glorificatum est, quod glorificatum fuit in hac parte propter excellentem gloriam, ut dixerit post aduentum Christi ad illius comparationem legis, præcepta quasi egena fuisse, & infirma: scriptum est enim; Oportet illum crescere, me autem minui. Quod exponit D. Hierony. non tàm dictum esse ex Ioannis, quàm ex legis persona: cedunt enim semper minora maioribus, & perfecta initijs preponuntur: Sunt enim infirma elementa & egena Iudeorum traditiones secundùm uilem literalem intelligentiam; sed robustiora sunt iuxta intelligentiam spiritualem: nam tunc temporis non elementa dici debent, sed perfectiones spirituales, cùm euacuatum sit id, quod ex parte est, ac illud in Christo sit explicatum. Quid aliud igitur ille literalis Iubileus ciuilis, & carnalis erat, quàm egenum quoddam, & infirmum elementum? Quod in Christo est euacuatum, quia non amplius egenum, nec infirmum elementum dicitur; sed Iubileus ille imperfectus nobis factus est perfectissimus, non amplius est figura, non adumbratio, sed res est figurata, ac lumen clarissimum. Præterea Iubileus ille antiquatus tantùm nobis aliquid pollicebatur, quod hoc tempore liberalitate, & summa Christi humanitate amplissimè dono accipimus. Hæretici, quia oculo corporeo, & carnali tantùm scripturas more Hebræorum interpretantur, ideo ausu temerario abrogatum aiunt omnino esse Iubileum; quòd nobis dierum, mensium, & annorum sit obseruatio prohibita, ac etiam à D. Paulo damnata. Quibus respondendum est à nobis, eos Apostolum reprehendere, qui non adorant Deum in spiritu, & ueritate: Sabbathum namque ueteris legis nos non colimus; sed illud, quod Sanctis & perfectis, (ait Apostolus) est repositum: de quo etiam Dominus inquit; Si introierint in requiem meam. Sed quibus temporibus? non illis sanè temporibus, de quibus Isaias loquitur; Recordamini dierum sæculi, & alibi: Memoratus sum dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Dies

Gal. 14. — Cor. — Gal. — Ioan. — Isa. 46.

sunt

sunt Sabbathum, Neomeniæ, & à decima mensis primi usque ad quartamdecimam, qua Agnus uictimæ seruabatur, & à quartadecima usque ad uigesimam primam einsdem mensis, quando azima comedebantur non sinceritatis, & ueritatis; sed in fermento ueteri, malitiæ, & nequitiæ Pharisæorum. Hebdomadæ etiam sunt post azima, dies etiam Pentecostes, dies clangoris tubarum; mense septimo. Dies istos, hebdomadas, menses, annos obseruant, qui hęc prędicta obseruare student non intelligentes mysteria ueritatis; sed hæc colunt tempora alio pacto, quam nos. Hebræi quoque (inquit Diuus Hieronym.) ter Hierosolimam per annum ueniebant; nos uerò templum quotidie frequentamus, sed alia ratione: imo non eosdem esse Iudaicæ obseruationis dies, & noctes testatur eodem loco Diuus Hierony. Nos enim non azimorum pascha celebramus, sed Resurrectionis, & crucis: multum etiam intermodum nostrū celebrandi, & Iudæorum interest. Hac ratione annum vigesimumquintum annum Iubilei celebramus, non iisdem ritibus, quibus illi annum quinquagesimum celebrant; cùm illi carnaliter, nos sacrosanctum Iubileum spiritualiter uenerèmur, idcirco omnia illis in figura contingebant, nec aliquid lex ad perfectum ducebat. Nobis uerò ea non occulta sunt, nec tenebris circumfusa; sed tanquam è tenebris in lucem ædita: unde inquit Isaias; Populus autem, qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam.

CAP. XX.

Iubileus Christianus remissionis est annus.

ANNVS *ille quinquagesimus antiquus erat annus remissionis, eò quòd debitoribus res creditæ condonabantur iubente Domino;* Luc. 25. *Ipse est Iubileus, uocabitis remissionem cunctis habitatoribus terræ: reuertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque rediet ad familiam suam. Quibus uerbis munus ueteris Iubilei explicatur, remittendi nempè ciuilia debita. Sed in Iubileo hoc nostro spiritualia debita sunt peccata à nobis commissa, quorum causa plurimùm diuinæ iu-* Matth. 28. *stitiæ debemus: quod similitudinibus Christus Saluator noster ostendit dicens; Assimilatum est Regnum cælorum homini Regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis, & cùm cæpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta: non habentem unde redderet iussit eum Dominus eius uenundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Creditor noster Deus est, nos debitores sumus, qui & maxima cum eo, & grauissima habemus debita, & nemo ab*

mo ab his debitis excusare se potest: dicit enim D. Ioann. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est; Hac de causa oramus quotidie; Dimitte nobis debita nostra: et ibidem D. Ioannes; Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & uerbum eius non est in nobis. Qualia autem sint hæc peccata nostra, describit Iob; Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior, in statera, hæc quasi arena Maris grauior appareret: & alibi legimus: Quòd funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. Quòd uerò peccata nostra debita sint nostra, quibus ære alieno sumus obstricti, doces D. Augustinus super Lucam de Verbis Domini sermone 20. Debitũ quod est, nisi peccatum? Ergo si non accepisses alieni fœnoris pecuniam, non egeres, ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua diues nascereris, diues eras ad imaginem Dei, & similitudinem factus, perdidisti, quod habebas, hoc est humilitatem, dum arrogantiam desideras uẽdicare, perdidisti pecuniam, sicut Adam nudus factus es, accepisti à Diabolo debitum, quod non erat necessarium, ideo qui liber eras in Christo, factus es debitor ex Diabolo. Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore abstulit. Dominus igitur nostram cautionem soluit, & nobis modum quo soluamus, donauit. Remittit culpam per sacramenta, quæ cautio erat, debitum uerò, quod soluere tenebamur, leuius facit, pœna æterna cùm temporalis euaserit. Cum etiam Diues sit in misericordia, aperit thesaurum opum suarum, id est meritorum suorum, quibus omnino soluamus id totum, quod alteri debebamus. O' Iubileum sacrosanctum, per quem annunciatur omnibus habitatoribus terræ omnium debitorum suorum remissio. O' Christi Domini nostri summam liberalitatem, suas nobis exhibendo diuitias, quibus in hoc sanctissimo Iubileo ab omni liberamur debito, cùm in hoc etiam, quemadmodum in ueteri, fiat remissio cunctis habitatoribus terræ, quæ remissio, nec fieret, nisi etiam cautionem ab inimico nostro extorqueremus: Quo pacto uerò id fiat docuit Dominus noster ijs uerbis; Dimittite, & dimittetur nobis. Ecce igitur Iubileum plenarium, non secundùm literam, & carnaliter obseruandum, sed spiritualiter, eo modo, quo docuit Isaias in Dei persona hoc oraculo; Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum, & cinerem sternere? Nunquid istud uocaui ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Id est Iubileum? Nonne hoc magis est ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis,

1.Ioan.1. Matth. 6. 1.Ioan.1. Iob.6. Prouer. 5. Luc. 6. Isa.58.

solue fasciculos deprimentes: clarius etiam ex D. Hieronymo, solue obligationes uiolentarum obligationum, quas aliqui ambiguitate decepti συναλλάγματα *idest commutationes dicunt pro chirographis. Significat enim fasciculos chartarum, in quibus fœneratorum continentur calumniæ, & opprimuntur pauperes ære alieno, quod in cunctis urbibus seditionis causa est maxima. Vbi igitur iniqua est cautio, & pauperes calumnia opprimuntur, ibi cautiones soluendas præcipit: hæc remissionis est uera adumbratio. Quod ita explicatur; Vetus enim, & sacra narrat historia, anno remissionis septimo, uel quinquagesimo, qui est annus*
Leuit.25. *Iubilei, omnes possessiones ad proprios reuertebantur dominos, & seruis pristina restituebatur libertas, & cautiones irritæ fiebant. Hæc omnia Hebræis obseruare iubet, hæc eadem, alia tam ratione considerata in sanctissimi huius Iubilei anno sunt obseruanda. Illæ enim Hebræorum obseruationes omnes carnales erant, ut iam diximus, istæ autem spirituales: Illæ ad tempus præcepit Deus obseruandas esse. Has uerò Saluator noster perpetuò permanere uoluit: In nostro igitur Iubileo, propter legis perfectionẽ, dona amplissimè augentur; Nec amplius lex præcipit nos oculum pro oculo, dentẽ pro dente eruere, sed unam uerberanti maxilam, alteram præbere: ideo Isaias dixit, exponens modum Iubilei; Debitores omnes repetitis, quid est repetere nisi calumnijs debitorem petere? Dimitte igitur inquit eos, qui confracti sunt, liberos: hoc est, qui paupertate sunt fracti, quos afflixit inopia, nec sinas inopia mendicare, & omne onus quo deprimuntur rumpe, quod clarius, & apertius exponunt septuaginta interpretes inquit D. Hieronymus* καὶ πᾶσαν συγγραφὴν ἄδικον διάσπα *id est, omnem scripturam iniquam conscinde, uel omnem cautionẽ falsam disrumpe. Si forsitan debitorem non habes, quid faciendum erit à te? audi; ait Vates; Frange panem esurienti, non plures dicit panes, ne paupertatis timore te excuses, nec panem unum dicit, sed partem panis, addit tuum, ne de re aliena liberalem te ostendas. At nonne ista est Iubilei uera remissio? uideamus sensum misticum: Annus placabilis, dies ieiunij, est annus Iubilei, nam spiritualiter etiam ieiunamus: Duplex enim est ieiunium, spirituale, & corporale, de cons. D. Augu. super Ioan. & dist. 5. ieiunium. Ieiunium magnum, & præcipuum est spirituale, quod ieiunium est à peccatis se abstinere eod. titu. & c. nihil. Hoc autem est Ieiunium spirituale; Declinet à malo, & faciat bonum, inquirat pacem, & illam sequatur: Ieiunium uerò corporale, & ipsum determinatis diebus est necessarium, sed hoc spirituale ieiunium est perpetuum, specialius in tempore, in quo & remissionem expectamus: est enim annus Iubilei, hoc est annus remissionis. Remissio uero primum*

est à

est à Deo, est etiam postea à nobis, ut quemadmodum nos remissionem optamus, ita alijs etiam remittamus. Vnde saluator noster docet; Nisi remiseritis de cordibus uestris, nec pater meus remittet uobis, remittere vult Deus nobis debita, vult etiam nos debita aliorum eisdem remittere, quòd remissio cunctis fiat terræ habitatoribus. Quòd si non remiseritis inquit Christus noster unusquisquè de cordibus uestris, nec pater ille cœlestis uobis remittet. Annus igitur remissionis est, quoniam Deus nobis remittit, & nos alijs omnibus remittere debemus, sed quis modus remissionis est obseruandus? modus ille sit quem Dominus docet in Euangelio; Diligite inimicos uestros, benefacite ijs qui oderunt nos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus uos, ut imitemini patrem uestrum, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Vnusquisque igitur dimittat ex animo, ut sibi quoquè dimittatur, & hunc annum remissionis annum esse consideret, in quo fit remissio omnibus terræ habitatoribus: sed quæ ea sint quæ dimittere dèamus distinctè cognoscere possumus in ijs quæ Deus in antiquo uisit obseruari Iubileo.

Matth. 18.
Matth. 18.
Matth. 5.

CAP. XXI.

Quorum sit remissio in utroquè Iubileo.

SVMMA utriusque Iubilei est remissio, & earundem rerum, sed non eodem sensu. In antiquo Iubileo trium erat remissio, Agrorum, Domorum, & Seruorum. Agri uenditi in anno Iubilei redimebantur, ita quòd eorum possessio ad primum dominum redibat. De agris autem tres constitutæ leges sunt à Deo. Prima est de precio; Quando uendes quidpiam ciui tuo, uel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed iuxta numerum annorum Iubilei emes ab eo, & iuxta supputationem frugum uendet tibi. Secunda: Terra non potest uendi, quia Dei est, sed fructus uendi possunt, quia populus Israel est peregrinus: terra hæc quæ uendi non potest, est terra possessionis Hebræorum, quæ terra est promissa. Nam si Hebræus extra terram promissionis emebat agros, non tenebatur remittere in anno Iubilei. Hæc uerò lex est; Terra, quoquè non ueniet in æternum, quia mea est, & uos aduenæ, & coloni mei estis. Vnde cuncta regio possessionis uestræ, sub redemptionis conditione, uendetur. Tertia lex est circa redemptionis conditionem, ut non solum prædij dominus posit illud redimere, sed etiam propinquus eius, & si quis uendiderit, & noluerit per redemptorem, sed per se ipsum (precium quod satis fuerit habens suis la-

Lec. 25.

boribus partum) redimere uoluerint, fiat redemptio, ac remissio secundùm supputationem annorum ad annum Iubilei: inquit enim; Si attenuatus frater tuus uendiderit possessiunculam suam, & uoluerit propinquus eius, potest redimere quod ille uendiderat: Sin autem non habuerit proximum, & ipse precium ad redimendum potuerit inuenire, computabuntur fructus ex eo tempore quo uendidit. Has de agrorum redemptione leges constituit Dominus Hebræis in ueteri lege, quæ secundùm sensum literalem eo tempore obseruarunt hebræi. Nos uerò quibus à
2. Cor. 3. *Diuo Paulo dictum est; Litera occidit, spiritus autem uiuificat, secundùm spiritum illas interpretari, & obseruare debemus. Nam Moyses Dei legem præscribens nihil aliud fecit, nisi demonstrando præcepta operum, quæ uel facere, uel uitare deberent Hebræi. Proinde à Di-*
Rom. 3. *uo Paulo uocatur lex factorum, seu operum. Christus uerò ea quæ à Moyse scripta sunt, uolens perfecta reddere, intus operatus est in cordibus fidelium spiritum fidei, & charitatis: quapropter ab eodem Apostolo uocatur Euangelium lex fidei, lex iustitiæ Dei, lex spiritus uitæ in*
2. Cor. 3. *Christo Iesu. Epistola inquit estis Christi Iesu scripta non atramento, sed spiritu Dei uiui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis carneis: qui & fiduciam talem habemus per Christum, qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Rem igitur istam non secundùm sensum illum intelligere debemus, quem obseruando celebrabant* Hebræi *Iubileum, sed eo sensu quo Patres Ecclesiæ catholicæ ueteris testamenti literam interpretantur, & qua ratione agrorum remissio in nostro Iubileo fieri debeat, nunc uideamus.*

CAP. XXII.

Agri quid significent in nouo Iubileo.

AGRI *inquit Diuus Gregorius, primo Reg. cap. 8. carnalis præpositi mentes sunt subditorum: mens igitur quæ anima nostra est, Ager est quidam. Hæreditario enim iure unusquisquè agrum suum possidet, & unusquisquè agrum uendere potest suo arbitrio: uenditur uerò ager operum suorum mercede: tunc autem unusquisque agrum suum uendit, cum alteri eius dominium tradit. Peccatorum igitur ratione, ager animæ uenditur diuinæ iustitiæ, quæ ex eo iubet, ut ex re sui iuris fructus pœnarum colligi nostrarum. Cum pœnæ nostrorum flagitiorum diuinæ iustitiæ dominium ostendere uideantur super animabus nostris, quas*
Matth. 18. *aut in hac uita, aut in purgatorio luere debemus. Tradite inquit Dominus serui debitum habentis cum tortoribus, quousq; reddat ad minimum*

qua-

quadrantem. Soluere igitur oportet, qui in tenebras exteriores tradi non uoluerit, quæ tenebræ pænas retinent grauissimas, quas luere oportebit eos, qui debito diuinæ iustitiæ ita se obligarunt, ut exclamet Rex; Quantum in delitijs fuit, tantum date illi tormentũ, & lutum. Ista est agri uenditio. D quoq; Aug. super Ps. 64. ait, Nosti quid facias de agro tuo, et nescit Deus quid faciat de agro suo? Frumentis horreum, ignis spinis præparatur: Agrum igitur uendimus, cum nosmetipsos uendimus. Ita uendidit seipsum prodigus ille, qui missus est in uillam, ut pasceret porcos, missus est in uillam, quia exijt extra seipsum, nam dixit D. Aug. de uerbis Domini *Serm. 38. Extra nos est quod damus, ut sit apud nos illud, quod comparamus: sed cùm postea redimere uoluisset suum agrum, inquit Saluator noster; reuersus est in se ipsum. Sed quo precio agrum nostrum unà cum prodigo redimere poterimus? Precium est nostra pænitentia, & Dei patientia, & benignitas, quod etiam D. Pau. expressè docuit. An ignoras quoniam benignitas Dei, ad pænitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: qui reddet unicuique secundùm opera eius: ijs quidem, qui secundùm pænitentiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, uitam æternam: ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam operantis malum. Precium igitur, quo redimenda sunt prædia nostra, agri nostri, pœna nostra est, si in hac uita redimere uoluerimus erit pænitentia sufficiens peccatorum nostrorum, si in alia uita erit precium pœnarum nostrarum, aut precium, inquit Deus, propinqui nostri: mira profectò Iubilei præstantia, precium nostrum est pœna, quàm luere debemus, qua Diuinæ iustitiæ satisfaciamus, & qua soluta, nos redimemus. Sed quæso non hoc preciũ breui tempore poterimus nobis comparare? nequaquam: si ad constitutam pœnam cuilibet peccato mortali olim ab* Ecclesiastica *potestate requiritur spacium, ut habetur 33. q. 2. cap. Hoc ipsum. §. Hinc etiam. Septem annorum. Nunc autem pænitentiæ omnes Sacerdotis arbitrio, taxandæ sunt (non tamen sine iudicio) prout habetur. De pæni. & remissio. cap. Deus Et de pœniten. distinct. prima. cap. Mensuram. Conueniamus igitur propinquum nostrum, ut soluat pro nobis. Sed quis est iste propinquus, nisi saluator noster? Propinquus est noster, quia Verbum carum factum est, & habitauit in nobis, & cætera. uenit autem ut soluat pro nobis, nam uenit; non ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Soluit autem precium in ecclesia, quod ostendit Diuus Augustinus*

Apoc. 18.
Luc. 15.
Rom. 2.
Iob. 19.
Ioan. 1.

gustinus. Homil. 13. Egere uoluit Christus, sed propter nos: donauit enim suas nobis diuitias. Magnæ diuitiæ sunt quibus quotidie agros nostros redimere possumus: harũ opũ dispensator legitimus Sum. est Pontifex, qui non partem, sed quanto quisque eget pro agro suo redimendo de thesauro Christi liberalisśimè effundit in hoc præcipuè anno sanctissimi Iubilei. Terram uero nos uendere non posse inquit Deus. Terra inquit non ueniet in perpetuum, quia mea est, & uos aduenæ, & coloni mei estis. Terra Dei est, nam Deus eam fundauit in æternum. Terra humana est natura: nam homo apud sacras literas terra dictus est;
Hiere. 22. *Terra, terra audi uerbum Dei. Sed uendi non potest, quia empta est in perpetuum, & empta est maximo precio. Nos hanc terram colimus, quia nobis hæc terra data est, & nobis empta est. Verum quibus nummis est*
Matth. 26. *empta? ijs, quos ab impio illo proditore acceptos à Principibus Sacerdotum, atque ab eodem postea proiectos, dictum est, non licere illos in corbonam mittere, quia precium sanguinis est, sed emerunt ex illis agrũ figuli in sepulturam peregrinorum, & propterea uocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis usque in hodiernum diem. Emptus*
Zacha. 17. *est ager à Deo, testatus est Zacharias; Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quem appreciauerunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli; sicut constituit mihi Dominus figulus, ut inquit D. Aug. Serm. 114. Christus est, ager uerò Christi ecclesia, Peregrini sunt acquisitio, populus gentium. Peregrini eramus, à lege, & prophetis praua Iudæorum studia suscepimus in salutem, nam in precio sanguinis Christi*
1. Cor. 6. *requieuimus, quo redemptus est ager noster. Precium est de quo Diuus*
1. Pet. 1. *Paulus, ad Corinthios dixit; Empti estis precio magno, & D. Petrus; Non corruptibilibus auro, & argento redemptis istis, sed preciosso sanguine agni immaculati, & incontaminati Christi, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter nos. Summum precium est, nobis donatum, meritum Christi Domini nostri; quod nobis Ecclesia de sua plenitudinis potestate in hoc Iubilei anno dispensat per Sum. Ponti. Ager igitur redemptus est anima nostra, cuius semen, & fructus sunt opera nostra. Sic Diuus Pau. Ga-*
Gal. 6. *latas docuit; Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionẽ, qui autem seminauerit in spiritu, de spiritu metet uitam æternam: bonum enim opus facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, sed quo tempore? hoc est post hanc uitam. Precium ergo redemptionis est pœnitentia nostra, pro hac uita, pro alia uerò pœnæ luenda in Purgatorij loco. Sed cum plurimorum pœnitentia, aut propter intempestiuam mortem, aut propter negligentiam in hac uita perfici non possit, & in alia*

nita grauiter uenit persoluenda, reccurrendum est. ad propinquum nostrum, ad Christum uidelicet, ut soluat pro nobis, ad eius dispensatorem qui æs meritorum Christi Domini nostri, & sanctorum liberalissimè dispensabit sufficiens ad agrorum nostrorum redemptionem, nec solùm nobis inter uiuos degentibus, uerùm etiam ijs, qui in purgatorio ære alieno detenti sunt, quousquè reddant ad minimum quadrantem. Ratio id uerum esse nos persuadet: inquit enim D. Augustinus ad fratres in heremo; Quid enim dicunt, nisi quòd uel in paradiso, cum gaudentibus, uel in inferno cum dolentibus? Sed si in purgatorio in uia eundi ad patrem sunt, quia securi sunt: Orandum tamen pro ipsis est, & eis toto affectu subueniendum est orationibus, eleemosinis, sacrificijs, ieiunijs, & macerationibus. Ratio sit hæc; Si eleemosinæ, peregrinationes, & alia id genus animabus in loco purgatorij prodesse possunt in ijs cruciatibus degentibus, quanto igitur magis plenariæ indulgentię, maiores, & præstantiores operationibus alijs nostris quibuscunque, eòs in pœnis illis adiuuare poterunt? Hæc igitur est in hoc sanctissimo anno Iubilei agrorum uostrorum remissio, quibus redemptis Domini nostri Iesu Christi summa pietate & Sum. Pastoris nostri Charitate paterna, ius hæreditarium fœlicitatis nostræ consequemur; quoniam restituta nobis filiatione donata per Christum, & hæreditas uendita ad proprium dominium reuertetur; Si enim filij sumus, hæredes etiam Dei, cohæredes uerò Christi in hoc sanctissimo Iubileo efficiemur.

CAP. XXIII.

Remissio domorum in anno Iubilei Christiani.

REMISSIO *domorum nostrarum non minus est nobis consideranda in anno Iubilei, quàm redemptio, & remissio agrorum. Domus sunt triplicis generis, & cuiusque generis remissio à Deo commemoratur. Domus, aut in urbibus sitæ sunt, aut in uicis, aut in agris, ait Dominus; Qui uendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus; post annum uerò, si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in Iubileo. At uerò si domus erit in uico, qui non habeat muros, & cui uico etiam ager adiaceat, tunc licet ei, qui eam uendiderit post Iubileum, & quandocunque potuerit restituere precium; & illam redimere domum, quam uendiderat. Tertia domorum institutio hæc est; Si domus sit leuitarum, aut Sacerdotum, ubicunque fuerit hæc domus,*

pore. Serm. 49. Sic mundum appellauit scriptura habitatores mundi per concupiscentiam dilectionis, non per conuersationem corporis: & eodem modo ait D. Paulus. Nostra conuersatio in cælis est. Nam qui diligit Deum, in cælo habitat cum Deo. *Istorum uerò domibus ager non est adiacens, ager est mens mundo dedita, ac terrena, non est adiacens ager, quoniam isti habentes hanc domum, quasi extra mundum uiuentes, in mundo uiuunt. Contingit tamen illos etiam domum uendere, dum scilicet peccatis afficiuntur (nam si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos seducimus) illamque præsertim in anno* Iubilei *redimere precio indulgentiarũ possunt. Res igitur ita se habet. Quispiam, si ex naturæ imbecillitate, in facinus aliquod graue contra legis decreta ruat, & sub conditione uenditionis iure iustitiæ gratiam amiserit, & pœnarum obligationi se obstrinxerit, ieiunijs, orationibus, peregrinationibus, atque alijs id genus operibus poterit domum uenditam recuperare: At uerò si ijs operibus aliquo impedimento non possit, adest annus Iubilei, quo uenditam domum recuperare poterit. Hoc tempus est opportunum, de quo forsan D. P. ubi loquitur. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, dum tempus habemus operemur bonum. Hæc magna est temporis opportunitas, in quo nostras domos, nostras animas redimere poterimus: quoniam si differamus, tempus appropinquabit, in quo nullam habebimus facultatem, nec precium habendi, nec domum redimendi. Quod etiam Deus nobis præscripsit Ezechielis oraculo. Venit tempus, appropinquauit dies, qui emit, non lætetur, & qui uendit non lugeat, quia ira super omnem populum eius: quia uendidit, ad id, quod uendidit, non reuertetur, & adhuc in uiuentibus uita eorum. His igitur uiuentibus hanc uitam flagitiosam, remissio nullo modo concessa erit post hanc uitam, de quibus dictum est à Saluatore nostro. Loquendo de peccato in spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in alio.*

Tertia lex domorum fuit: Si sacerdotalis domus fuerit ista, aut Leuitica, ubicunque fuerit, siue in agro, uel ciuitate, semper redimi poterit. Res quanis consideratione dignæ semper fuerint Sacerdotales, uel Leuiticæ: ideo res ista difficilioris est intelligentiæ. Sacerdotes, & Ecclesiæ ministri rem hanc omni studio, ac diligentia contemplentur, cùm legis decretum ad eos pertineat. Sacerdotes Dei, *& Ecclesiæ ministri, & ipsi natura procliui sunt ad malum, dicente Apostolo: Vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant quoniam, & ipse circumdatus est infirmitate. Sed fortiùs ipsi resistere possunt, quia Dei sunt ministri, cautè igitur studeant, ne diutiùs in peccato permanere uelint, ne domus eorum fiat deserta, & Episcopatum il-*

lorum alij accipiant. Si cadunt, releuent se statim, manum porrigant cũ D. Petro ad Dominũ clamentes; Domine saluum me fac. Releuẽt se ministri ecclesiæ statim, quibus munus alios releuandi à Domino collatum est. Si igitur domus Sacerdotalis peccati causa uendita fuerit, redimant eam ieiunijs, orationibus, sacrificijs, quibus facillimè quolibet tempore suas reparare poterunt domus. O admirabilem ministrorum Dei dignitatem, quibus hoc datum est, cum uoluerint (dum tamen Dei ueri sint ministri) suam redimere domũ possint. Domus hæc non est domus ab hominibus ædificata, sed à Deo creata.

Domum istam habitare debent ministri Dei: hęc domus tutissima est: Nam ait D. Aug. Ps. Possident Hierusalem cœlestem sine augustia, sine pressura, sine diuersitate, & diuisione limitum. Omnes habent eam, & singuli habent totam. Domus ergo ministrorum Dei, sit Domus Dei: quam & perpetuo concupiscant, terrestresquè despiciant. Ait enim D. Aug. de uerbis Apost. Ser. 22. Domus Deo cantando ædificatur, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur: modo ædificatur, sed in fine sæculi dedicatur. Hæc de domo sacerdotali, aut Leuitica sint dicta. Sacrum textum etiam alio sensu interpretari poterimus. Sacerdos is est etiam, qui seipsum Deo consecrauit per bona opera; quemadmodum dixit D. Petrus; Vos genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Leuita uero is est, qui Deo assistit per contemplationem, præcepta ipsius Dei obseruando. Ita legimus de Samuele; Puer Samuel ministrabat Domino coram Heli, & Sermo Domini erat preciosus.

Perfectus inquit Origines super Leuit. in intellectu, & opere, & fide, & actibus, Sacerdos, & Leuita accipiendus est: contigit uerò quandoque uiros bonos, grauesquè homines ualde errare in lege Domini, quemadmodum contigit Ezechiæ, Dauid, Petro, & alijs plerisquè, eo tempore domum suam uendere dicuntur, non eam quam habuerint in terris arte ædificatam, hanc enim & si habuerint quasi non habeant, negligere debẽt, cũ sæpius domus ista peccati sit ueluti occasio. Etenim Dauid aiũt sacræ literæ accidisse, ut surgeret de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ, uideretque mulierem se lauantem, ex aduerso super solarium suum, unde sui criminis causa orta est, & hoc pacto suam uendiderat domum, quam statim redemit ijs uocibus, maximo cordis, & animi dolore; Peccaui domino. Perfecti igitur uiri, quamuis uendant sæpius domum suam, facillimè tamen illam possunt pœnitentia recuperare. Idem legimus de Petro qui mulieri in domo Principis Sacerdotum quærenti, an esset ex discipulis Christi, grauiter Deum offendit ijs

Heb. 10.

uer-

uerbis. Non noui hominem. Quo perfecto statim exiuit foras, & fleuit amarè. Hoc modo ministri ecclesiæ spirituales, uiri perfecti, redimunt suas domos facillimè; Quia Charitas omnia patitur, omnia sperat, Charitas nunquàm excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Possunt cadere in peccatum perfecti, (non confirmati in gratia) sed citò resurgere possunt, quapropter ex ijs quæ iam dicta sunt Domum uendunt quandoque, & domus eorum cadere potest; & si etiam supra fundamentum fundata sit Apostolorum, & Prophetarum, quod possumus D.Paul.testimonio confirmare qui ait; Vt sapiens architectus fundamentum posui, alius superædificat, unusquisque autem uideat quomodo superædificet, fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus: Si quis autem supra fundamentum hoc ædificat aurum, argentum, lapides preciosos, ligna fœnum, stipulam, unusquisque opus manifestum erit. Interpretatur D.Hieron. Si quis negligenter, aut uerbo docuerit, aut exemplo, perdet laborem suum, quia opus aridum, infirmumquè perfecit, ipse autem saluus erit; hæc est etiam domus eorum uenditio. D. etiam Anselmus, uideat inquit, quomodo superædificet, non quomodo fundamentum ponat: Nam fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Fundamentum permanet, sed quod superædificatur, si inutile fuerit, non stabit, sed tantum illud, quod utile est, si superadditur, permanebit: inutilia igitur etiam bonos ædificare constat, in domo sua; sed restituitur domus per opera bona, atquè per indulgentias sanctissimi Iubilei. Improborum uerò domus, supra domum cadet, nec in alia uita amplius reparari poterit, sed ardebit igne æterno, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.

CAP. XXIIII.

De redemptione Seruorum in Iubileo Christiano.

S*ERVITVS adeò grauis est, & cunctis odiosa, ut morti et comparetur. ff. de condit. & demonst. l. intercidit in fi. ut not. in tracta. de serui. urb. & rust. prædiorum. Sed hæc seruitus est ciuilis, aut corporalis. De ijs seruis dicebat Plato Sexto de Rep. Nihil in animo seruiente integrum inesse, nec quicquam seruorum generi esse credendum. Seruos ideo aiunt dictos esse, quòd cum Imperatores captiuos uendere iuberent, illi propterea seruati essent, non occisi. Quem usum à Lacedemonibus ortum habuisse ostendit Plin. lib. 7. Quòd si hoc genus seruitutis ita est damnatum, quanto magis seruitutis spiritua-*

lis conditio erit à lege damnata? Cuius initiũ una cùm peccato emanasse retulit D. August. lib. 19. de Civitate Dei. cap. 15. Prima seruitutis causa peccatum est, ut homo homini conditionis uinculo subderetur, quod non fit nisi Deo iudicante, apud quem non est iniquitas, & nouit diuersas pœnas meritis distribuere delinquentium: Ita dominus dicebat; Qui facit peccatum, seruus est peccati. Idcirco multi quidem Religiosi dominis iniquis, non tamen liberis seruiunt; a quo enim quis deuictus est, & seruus additus est. Ab ebrietate seruitutem ortum habere docuit Gratianus Distin. 35. cap. 6. dic. inquiens; Non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset: de seruitute uerò loquitur ciuili, de qua etiam Dominus

Leuit. 25. *loquutus est, quæ pertinebat ad Iubileum antiquum. Sed serui sunt seruitute spirituali, & seruitute peccati, qui pertinent ad Iubileũ nostrum. De seruis autem ciuilibus loquentes duplicem illorum conditionem considerare debemus; Aliqui sunt libertate carentes, alij pro mercede seruientes. Panor. in rubr. de Iudæis. Vtranque seruorum conditionem complectitur diuina lex de seruis in Iubileo antiquo: cum præcipiat in prima lege; Si paupertate compulsus uendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius, & colonus erit usque ad annum Iubilei operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & reuertetur ad cognationem, & possessionem patrum suorum; mei enim serui sunt, & eduxi eos de terra Aegypti, non ueniant sub conditione seruorum, nec affligas eum per potentem, sed metuas Deũ tuum. Secunda lex est; seruus & Ancilla sint uobis de nationibus, quæ in circuitu uestro sunt, & de aduenis, qui peregrinantur apud uos, uel qui ex ijs nati fuerint in terra uestra, hos habebitis famulos iure hæreditario & transmitetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Tertia lex est, si inualuerit apud uos manus aduenæ, atque peregrini, & attenuatus frater tuus uẽdiderit se illi, aut cuiq; de stirpe eius, post uenditionẽ põt redimi. Qui uoluerit ex fratribus eius redimet eũ, et patrus, et patruelis & consanguineus, & affinis. Prima lex est de seruo mercenario. Seruus secundùm Philo. in Pol. est aliquis naturaliter, quia deficit intellectu, & nescit seipsum regere, & ei qui nescit se regere opus est mendicare, & alteri pro mercede seruire. Hoc prodigo illi contigisse scimus ex Euangelio. Qui cum opes omnes consumpsisset cœpit egere, cùm se regere nesciuisset, et ad eã peruenit inopiam, ut cũ facta esset fames ualida in regione illa, & ipse cœpisset egere, abiret, & adhæreret uni ciuium regionis illius, qui misit illum in uillam suam, ut pasceret porcos. Et cùm implere cuperet uentrem suum de siliquis, quas porci manducabant, nemo illi dabat. Hic ut mercenarius seruiebat: Sed quis est hic seruus mercenarius*

rius, nisi peccans, ex ignoratione legis? Qui inopia maximè cruciatur, de quo dictum est à sacris literis; Egestas, & ignominia ei, qui deserit sapientiam. Ideo erudiri debet à Sapientibus in Ecclesia, quibus etiam dictum est; Veh nobis qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Isti igitur sunt serui mercenarij, qui facillimè possunt redimi: quia in anno Iubilei indulgentijs ab hac seruitute se redimere possunt, & redire ad possessionem patrum suorum, hoc est ad cõmunionem sanctorum, hi enim Dei sunt serui, quos de terra Aegypti, & seruitutis, eduxit in terram promissam, & in terram libertatis, qua libertate Christus nos liberauit. Liberatur uerò seruus ab hac seruitute, quia seruus fit Dei, cui seruire regnare est, quæ seruitus tantò iocundior, quantò illa durior. D. Augusti. in Psal. 99. Libera seruitus est apud Dominum, & libera seruitus est, ubi non est necessitas, sed Charitas ipsa est quæ seruit. Secunda seruorũ conditio eorũ est, qui externi sunt, nec redimi possunt, sed in perpetuũ seruire debent. Sed qui sunt serui isti, qui nec in Iubileo redimi possunt? nisi qui in circuitu sunt ecclesiæ. Qui sunt pertinaces, ac obstinati, agrestiores Pharaone, Dei uocẽ non audientes, intra se mussitantes; Quis Deus est, aut quæ eius gloria? uenite fruamur creatura tanquàm in iuuentute sua. In circuitu sunt ecclesiæ hoc est extra ecclesiam. Sed qui sunt? Hæretici, Schismatici, Excommunicati, & illi omnes, quos ecclesia ueluti membra mortua eijecit de quibus inquit Diuus Paulus; Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Sunt enim in circuitu, sed non sunt in ecclesia, de quibus loquens D. Augustinus. Psal. 139. super illis verbis; Caput circuitus eorum ait: Caput circumitus eorum ipsa est superbia, quæ est circumitus eorum, ut circumeãt, & nõ stent, in gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine. Qui enim in longum it, aliunde incipit, & alicubi finit, sed qui in gyrũ it nnquã finit, iste est labor impiorum, qui demonstratur in alio psalmo euidentiùs; In circuitu impij ambulant, sed circumitus eorum caput est superbia: unde autem superbia labor labiorum ipsorum est? nisi quia omnis superbus fictus est, omnis fictus mendax. Isti igitur superbi, Mendaces, vulpinam pellem habentes quinimo ouinam, cum sint lupi rapaces, nunquam resipiscentes, serui erunt in perpetuum, nec redimi etiam in anno Iubilei poterunt: Nam culpa detenti, fructus Iubilei adipisci nullo modo queunt: de quibus loquutus est. D. Petrus. A quo enim quis superatus est, huius, & seruus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere uiam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum con- Heb. 10.

conuerti ab eo, quod traditum est sancto mandato: ij permanebunt in seruitute peccati, & Diaboli usque in æternum.

Tertiã legem tulit Deus de seruo propter paupertatem uendito, aduenæ, & peregrino, qui inter Israelitas commorabatur, tunc eum affinis redimere poterat. Sed quẽ pro aduena intelligere debemus? præterquàm aduenam impium, ac nostrum aduersarium qui semper, & perpetuò in circuitu nostro est, qui circuit quærens quem deuoret, qui si reperit quempiam non fortiter resistentem, illum deuorat. Qui igitur faciendum de istis quos aduersarius oppresit uppugnationibus, ac tentationibus? inquit Deus Opt. Max.. Affinis, patruus eius, uel patruelis redimat eum. Patruus Summus est Ponti. Patrueles, alij sunt Sacerdotes ipsi redimant seruum orationibus, exemplo, admonitionibus, doctrina, sacramentis, indulgentijs Iubilei, uel redimat propinquus carnis eius, is dicitur propinquus carnis, qui & ipse lauacro baptismi expiatus, in Christo secum est regeneratus, permanens in timore Dei, is poterit orationibus, ac etiam exhortationibus eum redimere. Vel inquit Deus, si quid adepta fuerit manus eius, redimat seipsum, orationibus, eleemosinis, & peregrinationibus. Si uerò non fuerit adepta aliquid manus eius in anno Iubilei, reuocabitur in pristinam libertatem. Hæc summa est Sacrosancti Iubilei uirtus, quà à manibus inimicorum nostrorum, & à seruitute ignobilissima nos liberare poterimus, & Deo in spiritu hnmanitatis, & patientiæ seruire.

1. Pet.

CAP. XXV.

De domus redemptione, aut agri Domini consecrati.

ALIAM etiam legem constituit Deus Opti. Maxi. de redemptione domorum, aut agrorum nostrorum in anno Iubilei, quæ lex, est hæc; Qui domum suam, uel agrum Domino uouerit, aut consecrauerit, non potest eam redimere nisi tempore Iubilei, & siclo san ctuarij, Sacerdote ipso annorum numerum supputante usq; ad Iubileum. Interpretatio hæc est; Quicunquè domum cordis, uel agrum conuersationis Domino consecrauerit per seuerior ẽ pœnitẽtiam, ratione grauioris culpæ, non poterit eã redimere nisi siclo sanctuarij hoc est pondere, aut pecunia sanctuarij, 2. q. 2. pecunia sanctuarij est thesaurus Ecclesiæ. Sacerdos qui æstimare debet domum, & annos sanctificationis connumerare, Summus est Pontifex: cum ipse thesaurum ecclesiæ custodire debeat. Ipse considerare debet annus remanentes usque ad annum Iubilei, secundùm hanc considerationem, quintam, ille do-

mum redimere uolens, soluant partem, sed non nisi siclo sanctuarij; Qui siclus maioris erat precij vulgaribus nummis. Solutio pecuniæ, eorum quæ nobis sunt præcepta est perfecta obseruantia. Sed horũ æstimatio ad Summi Sacerdotis pertinet iudicium, quæ etiam æstimatio summi Sacerdotis nobis ostendere uidetur iurisdictionis authoritatem: per quam recto iudicio remissiones dispensat, ac debita nobis remittit, siclo sanctuarij solut o. Hic uerò siclus sanctuarij diciturnõ sine rõne, ad res enim ad templũ pertinentes redimendas est ualde opportunus, & hic non nisi obedientiã ostendere uidetur fidelium, quo siclo ueluti tributum soluentes Pontificiæ Potestati, maximò honore summum ueneramur Pontificem, & si alijs etiam Principibus pareamus ex præcepto D. Paul. qui iubet obedire nos etiam discolis. Summum tamen Pontificem summa obseruantia colimus ueluti Dominum, amamus ut omnium fidelium patrem, suscipimus ut Pastorem, hic est siclus non omnis, sed sanctuarij siclus in anno Iubilei soluendus, non enim emere possumus, neque redimere quidpiam pertinens ad Dominum nisi sanctuarij siclo. Quod etiam docuit D. Augusti. sermone centesimo nonagesimo octauo, dum loqueretur de emptione David, cùm aream emit ab Areuna Hiebusæo: Dixitque Areuna ad Regem; Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum. Cui respondens Rex ait: Nequaquam ut uis, sed emam precio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo David aream, & boues argenti siclis quinquaginta, & ædificauit ibi David altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica. Et repropitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel: Considerandum est à nobis, David sacrificium gratis facere noluisse, super aream Areunæ Hiebusæi antequã solueret quinquaginta siclos argenti, sacrificium erat faciendum, ideo & siclus sanctuarij erat soluendus, quia ad sacra facienda non nisi sacra est pecunia soluenda. Hæc omnia ita est interpretatus D. Augu. Rex ergo Hiebusæus ipse obtulit Beato David aream, & boues ad holocaustum. Sed Rex David accipere noluit, nisi prius precium daret. Et hoc in aduentu Domini Saluatoris impletum est, qui gentium corda sibi assumere noluit, nisi prius pro eis preciosum sanguinem daret. Quid ergo debet? Quinquaginta inquit siclos argenti: in quinquagenario numero, & gratia spiritussancti intelligitur, & peccatorum remissio designatur. Nam quinquagesimo die spiritussanctus Apostolis mittitur, & ut in veteri testamento quinquagesimus annus remissionis, & indulgentiæ consecratur. David quidem ille argentum dedit, noster uerò David cuius ille typum tenebat, preciosum sanguinem fudit. Ergo ut aream pagani Regis David emeret, siclos quinquaginta obtulit, & verus David Christus, ut in area

2.Reg.2.

sunt Sabbathum, Neomeniæ, & à decima mensis primi usque ad quartamdecimam, qua Agnus uictimæ seruabatur, & à quartadecima usque ad uigesimam primam eiusdem mensis, quando azima comedebantur non sinceritatis, & ueritatis; sed in fermento ueteri, malitiæ, & nequitiæ Phariseorum. Hebdomadæ etiam sunt post azima, dies etiam Pentecostes, dies clangoris tubarum; mense septimo. Dies istos, hebdomadas, menses, annos obseruant, qui hęc prędicta obseruare student non intelligentes mysteria ueritatis; sed hæc colunt tempora alio pacto, quam nos. Hebræi quoque (inquit Diuus Hieronym.) ter Hierosolimam per annum ueniebant; nos uerò templum quotidie frequentamus, sed alia ratione: imo non eosdem esse Iudaicæ obseruationis dies, & noctes testatur eodem loco Diuus Hierony. Nos enim non azimorum pascha celebramus, sed Resurrectionis, & crucis: multum etiam intermodum nostrũ celebrandi, & Iudæorum interest. Hac ratione annum vigesimumquintum annum Iubilei celebramus, non iisdem ritibus, quibus illi annum quinquagesimum celebrant; cùm illi carnaliter, nos sacrosanctum Iubileum spiritualiter ueneremur, idcirco omnia illis in figura contingebant, nec aliquid lex ad perfectum ducebat. Nobis uerò ea non occulta sunt, nec tenebris circumfusa; sed tanquam è tenebris in lucem ædita: unde inquit Isaias; Populus autem, qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam.

CAP. XX.

Iubileus Christianus remissionis est annus.

Luc. 25. ANNVS ille quinquagesimus antiquus erat annus remissionis, eò quòd debitoribus res creditæ condonabantur iubente Domino; Ipse est Iubileus, uocabitis remissionem cunctis habitatoribus terræ: reuertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque rediet ad familiam suam. Quibus uerbis munus ueteris Iubilei explicatur, remittendi nempè ciuilia debita. Sed in Iubileo hoc nostro spiritualia debita sunt peccata à nobis commissa, quorum causa plurimùm diuinæ iustitia debemus: quod similitudinibus Christus Saluator noster ostendit dicens; Matth. 28. Assimilatum est Regnum cœlorum homini Regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis, & cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta: non habentem unde redderet iussit eum Dominus eius uenundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Creditor noster Deus est, nos debitores sumus, qui & maxima cum eo, & grauissima habemus debita, & nemo ab

mo ab his debitis excusare se potest: dicit enim D. Ioann. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est; Hac de causa oramus quotidie; Dimitte nobis debita nostra: et ibidem D. Ioannes; Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & uerbum eius non est in nobis. Qualia autem sint hæc peccata nostra, describit Iob; Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior, in statera, hæc quasi arena Maris grauior appareret: & alibi legimus: Quòd funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. Quòd uerò peccata nostra debita sint nostra, quibus ære alieno sumus obstricti, docet D. Augustinus super Lucam de Verbis Domini sermone 20. Debitū quod est, nisi peccatum? Ergo si non accepisses alieni fœnoris pecuniam, non egeres, ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua diues nascereris, diues eras ad imaginem Dei, & similitudinem factus, perdidisti, quod habebas, hoc est humilitatem, dum arrogantiam desideras uē dicare, perdidisti pecuniam, sicut Adam nudus factus es, accepisti à Diabolo debitum, quod non erat necessarium, ideo qui liber eras in Christo, factus es debitor ex Diabolo. Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore abstulit. Dominus igitur nostram cautionem soluit, & nobis modum quo soluamus, donauit. Remittit culpam per sacramenta, quæ cautio erat, debitum uerò, quod soluere tenebamur, leuius facit, pœna æterna cùm temporalis euaserit. Cum etiam Dives sit in misericordia, aperit thesaurum opum suarum, id est meritorum suorum, quibus omnino soluamus id totum, quod alteri debebamus. O' Iubileum sacrosanctum, per quem annunciatur omnibus habitatoribus terræ omnium debitorum suorum remissio. O' Christi Domini nostri summam liberalitatem, suas nobis exhibendo diuitias, quibus in hoc sanctissimo Iubileo ab omni liberamur debito, cùm in hoc etiam, quemadmodum in ueteri, fiat remissio cunctis habitatoribus terræ, quæ remissio, nec fieret, nisi etiam cautionem ab inimico nostro extorqueremus: Quo pacto uerò id fiat docuit Dominus noster ijs uerbis; Dimittite, & dimittetur nobis. Ecce igitur Iubileum plenarium, non secundùm literam, & carnaliter obseruandum, sed spiritualiter, eo modo, quo docuit Isaias in Dei persona hoc oraculo; Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum, & cinerem sternere? Nunquid istud uocaui ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Id est Iubileum? Nonne hoc magis est ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis,

Marginal references: 1. Ioan. 1. — Matth. 6. — 1. Ioan. 1. — Iob. 6. — Prouer. 5. — Luc. 6. — Isa. 58.

G *solue*

solue fasciculos deprimentes: clarius etiam ex D. Hieronymo, solue obligationes uiolentarum obligationum, quas aliqui ambiguitate decepti συναλλάγματα *idest commutationes dicunt pro chirographis. Significat enim fasciculos chartarum, in quibus fœneratorum continentur calumniæ, & opprimuntur pauperes ære alieno, quod in cunctis urbibus seditionis causa est maxima. Vbi igitur iniqua est cautio, & pauperes calumnia opprimuntur, ibi cautiones soluendas præcipit: hæc remissionis est uera adumbratio. Quod ita explicatur; Vetus enim, & sacra narrat historia, anno remissionis septimo, uel quinquagesimo, qui est annus*

Leuit. 25. *Iubilei, omnes possessiones ad proprios reuertebantur dominos, & seruis pristina restituebatur libertas, & cautiones irritæ fiebant. Hæc omnia Hebræis obseruare iubet, hæc eadem, alia tam ratione considerata in sanctissimi huius Iubilei anno sunt obseruanda. Illæ enim Hebræorum obseruationes omnes carnales erant, ut iam diximus, istæ autem spirituales: Illæ ad tempus præcepit Deus obseruandas esse. Has uerò Saluator noster perpetuò permanere uoluit: In nostro igitur Iubileo, propter legis perfectionẽ, dona amplissimè augentur; Nec amplius lex præcipit nos oculum pro oculo, dentẽ pro dente eruere, sed unam uerberanti maxilam, alteram præbere: ideo Isaias dixit, exponens modum Iubilei; Debitores omnes repetitis, quid est repetere nisi calumnijs debitorem petere? Dimitte igitur inquit eos, qui confracti sunt, liberos: hoc est, qui paupertate sunt fracti, quos afflixit inopia, nec sinas inopia mendicare, & omne onus quo deprimuntur rumpe, quod clarius, & apertius exponunt septuaginta interpretes inquit D. Hieronymus* καὶ πᾶσαν συγγραφὴν ἄδικον διάσπα *id est, omnem scripturam iniquam conscinde, uel omnem cautionẽ falsam disrumpe. Si forsitan debitorem non habes, quid faciendum erit à te? audi; ait Vates; Frange panem esurienti, non plures dicit panes, ne paupertatis timore te excuses, nec panem unum dicit, sed partem panis, addit tuum, ne de re aliena liberalem te ostendas. At nonne ista est Iubilei uera remissio? uideamus sensum misticum: Annus placabilis, dies ieiunij, est annus Iubilei, nam spiritualiter etiam ieiunamus: Duplex enim est ieiunium, spirituale, & corporale, de consf. D. Augu. super Ioan. & dist. 5. ieiunium. Ieiunium magnum, & præcipuum est spirituale, quod ieiunium est à peccatis se abstinere eod. titu. & c. nihil. Hoc autem est Ieiunium spirituale; Declinet à malo, & faciat bonum, inquirat pacem, & illam sequatur: Ieiunium uerò corporale, & ipsum determinatis diebus est necessarium, sed hoc spirituale ieiunium est perpetuum, specialius in tempore, in quo & remissionem expectamus: est enim annus Iubilei, hoc est annus remissionis. Remissio uero primum*

est à Deo, est etiam postea à nobis, ut quemadmodum nos remissionem optamus, ita alijs etiam remittamus. Vnde saluator noster docet; Nisi remiseritis de cordibus uestris, nec pater meus remittet uobis, remittere vult Deus nobis debita, vult etiam nos debita aliorum eisdem remittere, quòd remissio cunctis fiat terræ habitatoribus. Quòd si non remiseritis inquit Christus noster unusquisquè de cordibus uestris, nec pater ille cœlestis uobis remittet. Annus igitur remissionis est, quoniam Deus nobis remittit, & nos alijs omnibus remittere debemus, sed quis modus remissionis est obseruandus? modus ille sit quem Dominus docet in Euangelio; Diligite inimicos uestros, benefacite ijs qui oderunt uos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus uos, ut imitemini patrem uestrum, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & in iustos. Vnusquisque igitur dimittat ex animo, ut sibi quoquè dimittatur, & hunc annum remissionis annum esse consideret, in quo fit remissio omnibus terræ habitatoribus: sed quæ ea sint quæ dimittere dêamus distinctè cognoscere possumus in ijs quæ Deus in antiquo uissit obseruari Iubileo.

Matth. 18. Matth. 18. Matth. 5.

CAP. XXI.

Quorum sit remissio in utroquè Iubileo.

SVMMA utriusque Iubilei est remissio, & earundem rerum, sed non eodem sensu. In antiquo Iubileo trium erat remissio, Agrorum, Domorum, & Seruorum. Agri uenditi in anno Iubilei redimebantur, ita quòd eorum possessio ad primum dominum redibat. De agris autem tres constitutæ leges sunt à Deo. Prima est de precio; Quando uendes quidpiam ciui tuo, uel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed iuxta numerum annorum Iubilei emes ab eo, & iuxta supputationem frugum uendet tibi. Secunda: Terra non potest uendi, quia Dei est, sed fructus uendi possunt, quia populus Israel est peregrinus: terra hæc quæ uendi non potest, est terra possessionis Hebræorum, quæ terra est promissa. Nam si Hebræus extra terram promissionis emebat agros, non tenebatur remittere in anno Iubilei. Hæc uerò lex est; Terra, quoquè non ueniet in æternum, quia mea est, & uos aduenæ, & coloni mei estis. Vnde cuncta regio possessionis uestræ, sub redemptionis conditione, uendetur. Tertia lex est circa redemptionis conditionem, ut non solum prædij dominus posit illud redimere, sed etiam propinquus eius, & si quis uendiderit, & noluerit per redemptorem, sed per se ipsum (precium quod satis fuerit habens suis laboribus

Lec. 25.

boribus partum) redimere uoluerint, fiat redemptio, ac remissio secundùm supputationem annorum ad annum Iubilei: inquit enim; Si attenuatus frater tuus uendiderit possessiunculam suam, & uoluerit propinquus eius, potest redimere quod ille uendiderat: Sin autem non habuerit proximum, & ipse precium ad redimendum potuerit inuenire, computabuntur fructus ex eo tempore quo uendidit. Has de agrorum redemptione leges constituit Dominus Hebræis in ueteri lege, quæ secundùm sensum literalem eo tempore obseruarunt hebræi. Nos uerò quibus à
2. Cor. 3. *Diuo Paulo dictum est; Litera occidit, spiritus autem uiuificat, secundùm spiritum illas interpretari, & obseruare debemus. Nam Moyses Dei legem præscribens nihil aliud fecit, nisi demonstrando præcepta operum, quæ uel facere, uel uitare deberent Hebræi. Proinde à Di-*
Rom. 3. *uo Paulo uocatur lex factorum, seu operum. Christus uerò ea quæ à Moyse scripta sunt, uolens perfecta reddere, intus operatus est in cordibus fidelium spiritum fidei, & charitatis: quapropter ab eodem Apostolo uocatur Euangelium lex fidei, lex iustitiæ Dei, lex spiritus uitæ in*
2. Cor. 3. *Christo Iesu. Epistola inquit estis Christi Iesu scripta non atramento, sed spiritu Dei uiui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis carneis: qui & fiduciam talem habemus per Christum, qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Rem igitur istam non secundùm sensum illum intelligere debemus, quem obseruando celebrabant* Hebræi *Iubileum, sed eo sensu quo Patres Ecclesiæ catholicæ ueteris testamenti literam interpretantur, & qua ratione agrorum remissio in nostro Iubileo fieri debeat, nunc uideamus.*

CAP. XXII.

Agri quid significent in nouo Iubileo.

AGRI *inquit Diuus Gregorius: primo Reg. cap. 8. carnalis præpositi mentes sunt subditorum: mens igitur quæ anima nostra est, Ager est quidam. Hæreditario enim iure unusquisquè agrum suum possidet, & unusquisquè agrum uendere potest suo arbitrio: uenditur uerò ager operum suorum mercede: tunc autem unusquisque agrum suum uendit, cum alteri eius dominium tradit. Peccatorum igitur ratione, ager animæ uenditur diuinæ iustitiæ, quæ ex eo iubet, ut ex re sui iuris fructus pœnarum colligi nostrarum. Cum pœnæ nostrorum flagitiorum diuinæ iustitiæ dominium ostendere uideantur super animabus nostris, quas*
Matth. 18. *au: in hac uita, aut in purgatorio luere debemus. Tradite inquit Dominus serui debitum habentis eum tortoribus, quousq; reddat ad minimum*

qua-

quadrantem. Soluere igitur oportet, qui in tenebras exteriores tradi non uoluerit, quæ tenebræ pœnas retinent grauissimas, quas luere oportebit eos, qui debito diuinæ iustitiæ ita se obligarunt, ut exclamet Rex; Quantum in delitijs fuit, tantum date illi tormentũ, & luctum. Ista est agri uenditio. D. quoq; Aug. super Ps. 64. ait, Nosti quid facias de agro tuo, et nescit Deus quid faciat de agro suo? Frumentis horreum, ignis spinis præparatur: Agrum igitur uendimus, cum nosmetipsos uendimus. Ita uendidit seipsum prodigus ille, qui missus est in uillam, ut pasceret porcos, missus est in uillam, quia exijt extra seipsum, nam dixit D. Aug. de uerbis Domini Serm. 38. Extra nos est quod damus, ut sit apud nos illud, quod comparamus: sed cùm postea redimere uoluisset suum agrum, inquit Saluator noster; reuersus est in se ipsum. Sed quo precio agrum nostrum unà cum prodigo redimere poterimus? Precium est nostra pœnitentia, & Dei patientia, & benignitas, quod etiam D. Pau. expressè docuit. An ignoras quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: qui reddet unicuique secundùm opera eius: ijs quidem, qui secundùm pœnitentiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, uitam æternam: ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam operantis malum. Precium igitur, quo redimenda sunt prædia nostra, agri nostri, pœna nostra est, si in hac uita redimere uoluerimus erit pœnitentia sufficiens peccatorum nostrorum, si in alia uita erit precium pœnarum nostrarum, aut precium, inquit Deus, propinqui nostri: mira profectò Iubilei præstantia, precium nostrum est pœna, quàm luere debemus, qua Diuinæ iustitiæ satisfaciamus, & qua soluta, nos redimemus. Sed quæso non hoc preciũ breui tempore poterimus nobis comparare? nequaquam: si ad constitutam pœnam cuilibet peccato mortali olim ab Ecclesiastica potestate requiritur spacium, ut habetur 33. q. 2. cap. Hoc ipsum. §. Hinc etiam. Septem annorum. Nunc autem pœnitentiæ omnes Sacerdotis arbitrio, taxandæ sunt (non tamen sine iudicio) prout habetur. De pœni. & remissio. cap. Deus Et de pœniten. distinct. prima. cap. Mensuram. Conueniamus igitur propinquum nostrum, ut soluat pro nobis. Sed quis est iste propinquus, nisi saluator noster? Propinquus est noster, quia Verbum carnum factum est, & habitauit in nobis, & cætera. uenit autem ut soluat pro nobis, nam uenit; non ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Soluit autem precium in ecclesia, quod ostendit Diuus Augustinus

Apoc. 18.
Luc. 15.
Rom. 2.
Iob. 19.
Ioan. 1.

gustinus. Homil, 13. Egere uo'uit Christus, sed propter nos. donauit enim suas nobis diuitias. Magnæ diuitiæ sunt quibus quotidie agros nostros redimere possumus: harū opū dispensator legitimus Sum. est Pontifex, qui non partem, sed quanto quisque eget pro agro suo redimendo de thesauro Christi liberalissimè effundit in hoc præcipuè anno sanctissimi Iubilei. Terram uero nos uendere non posse inquit Deus. Terra inquit non ueniet in perpetuum, quia mea est, & uos aduenæ, & coloni mei estis. Terra Dei est, nam Deus eam fundauit in æternum. Terra humana est natura: nam homo apud sacras literas terra dictus est; Terra, terra audi uerbum Dei. Sed uendi non potest, quia empta est in perpetuum, & empta est maximo precio. Nos hanc terram colimus, quia nobis hæc terra data est, & nobis empta est. Verum quibus nummis est empta? ijs, quos ab impio illo præditore acceptos à Principibus Sacerdotum, atque ab eodem postea proiectos, dictum est, non licere illos in corbonam mittere, quia precium sanguinis est, sed emerunt ex illis agrū figuli in sepulturam peregrinorum, & propterea uocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis usque in hodiernum diem. Emptus est ager à Deo, testatus est Zacharias; Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quem appreciauerunt à filijs Israel, & dederunt eos in agrum figuli; sicut constituit mihi Dominus figulus, ut inquit D. Aug. Serm. 114. Christus est, ager uerò Christi ecclesia, Peregrini sunt acquisitio, populus gentium. Peregrini eramus, à lege, & prophetis praua Iudæorum studia suscepimus in salutem, nam in precio sanguinis Christi requieuimus, quo redemptus est ager noster. Precium est de quo Diuus Paulus, ad Corinthios dixit; Empti estis precio magno, & D. Petrus; Non corruptibilibus auro, & argento redemptis istis, sed preciosо sanguine agni immaculati, & incontaminati Christi, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter uos. Summum precium est, nobis donatum, meritum Christi Domini nostri; quod nobis Ecclesia de sua plenitudinis potestate in hoc Iubilei anno dispensat per Sum. Ponti. Ager igitur redemptus est anima nostra, cuius semen, & fructus sunt opera nostra. Sic Diuus Pau. Galatas docuit; Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionē, qui autem seminauerit in spiritu, de spiritu metet uitam æternam: bonum enim opus facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, sed quo tempore? hoc est post hanc uitam. Precium ergo redemptionis est pœnitentia nostra, pro hac uita, pro alia uerò pœnæ luenda in Purgatorij loco. Sed cum plurimorum pœnitentia, aut propter intempestiuam mortem, aut propter negligentiam in hac uita perfici non possit, & in alia

Hiere. 22. Matth. 16. Zacha. 17. 1. Cor. 6. 1. Pet. 1. Gal. 6.

uita grauiter uenit persoluenda, reccurrendum est. ad propinquum nostrum, ad Christum uidelicet, ut soluat pro nobis, ad eius dispensatorem qui æs meritorum Christi Domini nostri, & sanctorum liberalissimè dispensabit sufficiens ad agrorum nostrorum redemptionem, nec solùm nobis inter uiuos degentibus, uerùm etiam ijs, qui in purgatorio ære alieno detenti sunt, quousquè reddant ad minimum quadrantem. Ratio id uerum esse nos persuadet: inquit enim D. Augustinus ad fratres in heremo; Quid enim dicunt, nisi quòd uel in paradiso, cum gaudentibus, uel in inferno cum dolentibus? Sed si in purgatorio in uia eundi ad patrem sunt, quia securi sunt: Orandum tamen pro ipsis est, & eis toto affectu subueniendum est orationibus, eleemosinis, sacrificijs, ieiunijs, & macerationibus. Ratio sit hæc; Si eleemosinæ, peregrinationes, & alia id genus animabus in loco purgatorij prodesse possunt in ijs cruciatibus degentibus, quanto igitur magis plenariæ indulgentiæ, maiores, & præstantiores operationibus alijs nostris quibuscunque, eòs in pœnis illis adiuuare poterunt? Hæc igitur est in hoc sanctissimo anno Iubilei agrorum uostrorum remissio, quibus redemptis Domini nostri Iesu Christi summa pietate & Sum. Pastoris nostri Charitate paterna, ius hæreditarium fœlicitatis nostræ consequemur; quoniam restituta nobis filiatione donata per Christum, & hæreditas uendita ad proprium dominium reuertetur; Si enim filij sumus, hæredes etiam Dei, cohæredes uerò Christi in hoc sanctissimo Iubileo efficiemur.

CAP. XXIII.

Remissio domorum in anno Iubilei Christiani.

REMISSIO *domorum nostrarum non minus est nobis consideranda in anno Iubilei, quàm redemptio, & remissio agrorum. Domus sunt triplicis generis, & cuiusque generis remissio à Deo commemoratur. Domus, aut in urbibus sitæ sunt, aut in uicis, aut in agris, ait Dominus; Qui uendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus; post annum uerò, si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in Iubileo. At uerò si domus erit in uico, qui non habeat muros, & cui uico etiam ager adiaceat, tunc licet ei, qui eam uendiderit post Iubileum, & quandocunque potuerit restituere precium, & illam redimere domum, quam uendiderat. Tertia domorum institutio hæc est; Si domus sit leuitarum, aut Sacerdotum, ubicunque fuerit hæc domus,*

pore. Serm.49. Sic mundum appellauit scriptura habitatores mundi per concupiscentiam dilectionis, non per conuersationem corporis: & eodem modo ait D. Paulus. Nostra conuersatio in cœlis est. Nam qui diligit Deum, in cælo habitat cum Deo. *Istorum uerò domibus ager non est adiacens, ager est mens mundo dedita, ac terrena; non est adiacens ager, quoniam isti habentes hanc domum, quasi extra mundum uiuentes, in mundo uiuunt. Contingit tamen illos etiam domum uendere, dum scilicet peccatis afficiuntur (nam si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos seducimus) illamque præsertim in anno* Iubilei *redimere precio indulgentiarũ possunt. Res igitur ita se habet. Quispiam, si ex naturæ imbecillitate, in facinus aliquod graue contra legis decreta ruat, & sub conditione uenditionis iure iustitiæ gratiam amiserit, & pœnarum obligationi se obstrinxerit, ieiunijs, orationibus, peregrinationibus, atque alijs id genus operibus poterit domum uenditam recuperare: At uerò si ijs operibus aliquo impedimento non possit, adest annus Iubilei, quo uenditam domum recuperare poterit. Hoc tempus est opportunum, de quo forsan D. P. ul. loquitur. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, dum tempus habemus operemur bonum. Hæc magna est temporis opportunitas, in quo nostras domos, nostras animas redimere poterimus: quoniam si differamus, tempus appropinquabit, in quo nullam habebimus facultatem, nec pretium habendi, nec domum redimendi. Quod etiam Deus nobis præscripsit Ezechielis oraculo. Venit tempus, appropinquauit dies, qui emit, non lætetur, & qui uendit non lugeat, quia ira super omnem populum eius: quia uendidit, ad id, quod uendidit, non reuertetur, & adhuc in uiuentibus uita eorum. His igitur uiuentibus hanc uitam flagitiosam, remissio nullo modo concessa erit post hanc uitam, de quibus dictum est à Saluatore nostro. Loquendo de peccato in spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in alio.*

Tertia lex domorum fuit: Si sacerdotalis domus fuerit ista, aut Leuitica, ubicunque fuerit, siue in agro, uel ciuitate, semper redimi poterit. Res quauis consideratione dignæ semper fuerint Sacerdotales, uel Leuiticæ: ideo res ista difficilioris est intelligentiæ. Sacerdotes, & Ecclesiæ ministri rem hanc omni studio, ac diligentia contemplentur, cùm legis decretum ad eos pertineat. Sacerdotes Dei, *& Ecclesiæ ministri, & ipsi natura procliui sunt ad malum, dicente Apostolo: Vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant quoniam, & ipse circundatus est infirmitate. Sed fortiùs ipsi resistere possunt, quia Dei sunt ministri, cautè igitur studeant, ne diutiùs in peccato permanere uelint, ne domus eorum fiat deserta, & Episcopatum il-*

lorum alij accipiant. Si cadunt, releuent se statim, manum porrigant cū D.Petro ad Dominū clamentes; Domine saluum me fac. Releuēt se ministri ecclesiæ statim, quibus munus alios releuandi à Domino collatum est. Si igitur domus Sacerdotalis peccati causa uendita fuerit, redimant eam ieiunijs, orationibus, sacrificijs, quibus facillimè quolibet tempore suas reparare poterunt domus. O admirabilem ministrorum Dei dignitatem, quibus hoc datum est, cum uoluerint (dum tamen Dei ueri sint ministri) suam redimere domū possint. Domus hæc non est domus ab hominibus ædificata, sed à Deo creata.

Domum istam habitare debent ministri Dei: hęc domus tutissima est: Nam ait D. Aug. Ps. Possident Hierusalem cœlestem sine angustia, sine pressura, sine diuersitate, & diuisione limitum. Omnes habent eam, & singuli habent totam. Domus ergo ministrorum Dei, sit Domus *Dei: quam & perpetuo concupiscant, terrestresquè despiciant. Ait enim D. Aug. de uerbis Apost. Ser. 22. Domus Deo cantando ædificatur, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur: modo ædificatur, sed in fine sæculi dedicatur. Hæc de domo sacerdotali, aut Leuitica sint dicta. Sacrum textum etiam alio sensu interpretari poterimus. Sacerdos is est etiam, qui seipsum Deo consecrauit per bona opera; quemadmodum dixit D. Petrus; Vos genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Leuita uero is est, qui Deo assistit per contemplationem, præcepta ipsius Dei obseruando. Ita legimus de Samuele; Puer Samuel ministrabat Domino coram Heli, & Sermo* Domi*ni erat preciosus.*

Perfectus inquit Origines super Leuit. in intellectu, & opere, & fide, & actibus, Sacerdos, & Leuita accipiendus est: contigit uerò quandoque uiros bonos, grauesquè homines ualde errare in lege Domini, quemadmodum contigit Ezechiæ, Dauid, Petro, & alijs plerisquè, eo tempore domum suam uendere dicuntur, non eam quam habuerint in terris arte ædificatam, hanc enim & si habuerint quasi non habeant, negligere debēt, cū sæpius domus ista peccati sit ueluti occasio. Etenim Dauid aiūt Heb. 10. *sacræ literæ accidisse, ut surgeret de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ, uideretque mulierem se lauantem, ex aduerso super solarium suum, unde sui criminis causa orta est, & hoc pacto suam uendiderat domum, quam statim redemit ijs uocibus, maximo cordis, & animi dolore; Peccaui domino. Perfecti igitur uiri, quamuis uendant sæpius domum suam, facillimè tamen illam possunt pœnitentia recuperare. Idem legimus de Petro qui mulieri in domo* Principis *Sacerdotum quærenti, an esset ex discipulis Christi, grauiter Deum offendit ijs*

uerbis. Non noui hominem. Quo perfecto statim exiuit foras, & fleuit amarè. Hoc modo ministri ecclesiæ spirituales, uiri perfecti, redimunt suas domos facillimè; Quia Charitas omnia patitur, omnia sperat, Charitas nunquàm excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Possunt cadere in peccatum perfecti, (non confirmati in gratia) sed citò resurgere possunt, quapropter ex ijs quæ iam dicta sunt Domum *uendunt quandoque, & domus eorum cadere potest; & si etiam supra fundamentum fundata sit Apostolorum, & Prophetarum, quod possumus D. Paul. testimonio confirmare qui ait; Vt sapiens architectus fundamentum posui, alius superædificat, unusquisque autem uideat quomodo superædificet, fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus: Si quis autem supra fundamentum hoc ædificat aurum, argentum, lapides preciosos, ligna fœnum, stipulam, unusquisque opus manifestum erit. Interpretatur D. Hieron. Si quis negligenter, aut uerbo docuerit, aut exemplo, perdet laborem suum, quia opus aridum, infirmumquè perfecit, ipse autem saluus erit; hæc est etiam domus eorum uenditio. D. etiam Anselmus, uideat inquit, quomodo superædificet, non quomodo fundamentum ponat: Nam fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Fundamentum permanet, sed quod superædificatur, si inutile fuerit, non stabit, sed tantum illud, quod utile est, si superadditur, permanebit: inutilia igitur etiam bonos ædificare constat, in domo sua; sed restituitur domus per opera bona, atquè per indulgentias sanctißimi Iubilei. Improborum uerò domus, supra domum cadet, nec in alia uita amplius reparari poterit, sed ardebit igne æterno, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.*

CAP. XXIIII.

De redemptione Seruorum in Iubileo Christiano.

SERVITVS *adeò grauis est, & cunctis odiosa, ut morti ĉt comparetur. ff. de condit. & demonst. l. intercidit in fi. ut not. in tracta. de serui. urb. & rust. prædiorum. Sed hæc seruitus est ciuilis, aut corporalis. De ijs seruis dicebat* Plato Sexto *de Rep. Nihil in animo seruiente integrum inesse, nec quicquam seruorum generi esse credendum. Seruos ideo aiunt dictos esse, quòd cum* Imperato*res captiuos uendere iuberent, illi propterea seruati essent, non occisi. Quem usum à* Lacedemonibus *ortum habuisse ostendit Plin. lib. 7. Quòd si hoc genus seruitutis ita est damnatum, quanto magis seruitutis spiritua-*

lis conditio erit à lege damnata? Cuius initiũ una cum peccato emanasse retulit D. August. lib. 19. de Ciuitate Dei. cap. 15. Prima seruitutis causa peccatum est, ut homo homini conditionis uinculo subderetur, quod non fit nisi Deo iudicante, apud quem non est iniquitas, & nouit diuersas pœnas meritis distribuere delinquentium: Ita dominus dicebat; Qui facit peccatum, seruus est peccati. Idcirco multi quidem Religiosi dominis iniquis, non tamen liberis seruiunt; a quo enim quis deuictus est, & seruus additus est. Ab ebrietate seruitutem ortum habere docuit Gratianus Distin. 35. cap. 6. die. inquiens; Non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset: de seruitute uerò loquitur ciuili, de qua etiam Dominus

Leuit. 25. *loquutus est, quæ pertinebat ad Iubileum antiquum. Sed serui sunt seruitute spirituali, & seruitute peccati, qui pertinent ad Iubileũ nostrum. De seruis autem ciuilibus loquentes duplicem illorum conditionem considerare debemus; Aliqui sunt libertate carentes, alij pro mercede seruientes. Panor. in rubr. de Iudæis. Vtranque seruorum conditionem complectitur diuina lex de seruis in Iubileo antiquo: cum præcipiat in prima lege; Si paupertate compulsus uendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius, & colonus erit usque ad annum Iubilei operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & reuertetur ad cognationem, & possessionem patrum suorum; mei enim serui sunt, & eduxi eos de terra Aegypti, non ueniant sub conditione seruorum, nec affligas eum per potentem, sed metuas Deũ tuum. Secunda lex est; seruus & Ancilla sint uobis de nationibus, quæ in circuitu uestro sunt, & de aduenis, qui peregrinantur apud uos, uel qui ex ijs nati fuerint in terra uestra, hos habebitis famulos iure hæreditario & transmitetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Tertia lex est, si inualuerit apud uos manus aduenæ, atque peregrini, & attenuatus frater tuus uẽdiderit se illi, aut cuiq; de stirpe eius, post uenditionẽ põt redimi. Qui uoluerit ex fratribus eius redimet eũ, et patruus, et patruelis & consanguineus, & affinis. Prima lex est de seruo mercenario. Seruus secundùm Philo. in Pol. est aliquis naturaliter, quia deficit intellectu, & nescit seipsum regere, & ei qui nescit se regere opus est mendicare, & alteri pro mercede seruire. Hoc prodigo illi contigisse scimus ex Euangelio. Qui cum opes omnes consumpsisset cœpit egere, cùm se regere nesciuisset, et ad eã peruenit inopiam, ut cũ facta esset fames ualida in regione illa, & ipse cœpisset egere, abiret, & adhæreret uni ciuium regionis illius, qui misit illum in uillam suam, ut pasceret porcos. Et cùm implere cuperet uentrem suum de siliquis, quas porci manducabant, nemo illi dabat. Hic ut mercenarius seruiebat: Sed quis est hic seruus mercenarius*

rius, nisi peccans, ex ignoratione legis? Qui inopia maximè cruciatur, de quo dictum est à sacris literis; Egestas, & ignominia ei, qui deserit sapientiam. Ideo erudiri debet à Sapientibus in Ecclesia, quibus etiam dictum est; Veh nobis qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Isti igitur sunt serui mercenarij, qui facillimè possunt redimi: quia in anno Iubilei indulgentijs ab hac seruitute se redimere possunt, & redire ad possessionem patrum suorum, hoc est ad cõmunionem sanctorum, ibi enim Dei sunt serui, quos de terra Aegypti, & seruitutis, eduxit in terram promissam, & in terram libertatis, qua libertate Christus nos liberauit. Liberatur uerò seruus ab hac seruitute, quia seruus fit Dei, cui seruire regnare est, quæ seruitus tantò iocundior, quantò illa durior. D. Augusti. in Psal. 99. Libera seruitus est apud Dominum, & libera seruitus est, ubi non est necessitas, sed Charitas ipsa est quæ seruit. Secunda seruorũ conditio eorũ est, qui externi sunt, nec redimi possunt, sed in perpetuũ seruire debent. Sed qui sunt serui isti, qui nec in Iubileo redimi possunt? nisi qui in circuitu sunt ecclesiæ. Qui sunt pertinaces, ac obstinati, agrestiores Pharaone, Dei uocẽ non audientes, intra se mussitantes; Quis Deus est, aut quæ eius gloria? uenite fruamur creatura tanquàm in iuuentute sua. In circuitu sunt ecclesiæ hoc est extra ecclesiam. Sed qui sunt? Hæretici, Schismatici, Excommunicati, & illi omnes, quos ecclesia ueluti membra mortua eiecit de quibus inquit Diuus Paulus; Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Sunt enim in circuitu, sed non sunt in ecclesia, de quibus loquens D. Augustinus. Psal. 159. super illis verbis; Caput circuitus eorum ait: Caput circumitus eorum ipsa est superbia, quæ est circumitus eorum, ut circumeãt, & non stent, in gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine. Qui enim in longum it, aliunde incipit, & alicubi finit, sed qui in gyrum it nunquã finit, iste est labor impiorum, qui demonstratur in alio psalmo euidentiùs; In circuitu impij ambulant, sed circumitus eorum caput est superbia: unde autem superbia labor labiorum ipsorum est? nisi quia omnis superbus fictus est, omnis fictus mendax. Isti igitur superbi, Mendaces, vulpinam pellem habentes quinimo ouinam, cum sint lupi rapaces, nunquam resipiscentes, serui erunt in perpetuum, nec redimi etiam in anno Iubilei poterunt: Nam culpa detenti, fructus Iubilei adipisci nullo modo queunt: de quibus loquutus est. D. Petrus. A quo enim quis superatus est, huius, & seruus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere uiam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum Heb. 10.

con-

mum redimere uolens, soluant partem, sed non nisi siclo sanctuarij; Qui siclus maioris erat precij vulgaribus nummis. Solutio pecuniæ, eorum quæ nobis sunt præcepta est perfecta obseruantia. Sed horũ æstimatio ad Summi Sacerdotis pertinet iudicium, quæ etiam æstimatio summi Sacerdotis nobis ostendere uidetur iurisdictionis authoritatem: per quam recto iudicio remissiones dispensat, ac debita nobis remittit, siclo sanctuarij soluto. Hic uerò siclus sanctuarij dicitur nõ sine rõne, ad res enim ad templũ pertinentes redimendas est ualde opportunus, & hic non nisi obedientiã ostendere uidetur fidelium, quo siclo ueluti tributum soluentes Pontificiæ Potestati, maximò honore summum ueneramur Pontificem, & si alijs etiam Principibus pareamus ex præcepto D. Paul. qui iubet obedire nos etiam discolis. Summum tamen Pontificem summa obseruantia colimus ueluti Dominum, amamus ut omnium fidelium patrem, suscipimus ut Pastorem, hic est siclus non omnis, sed sanctuarij siclus in anno Iubilei soluendus, non enim emere possumus, neque redimere quidpiam pertinens ad Dominum nisi sanctuarij siclo. Quod etiam docuit D. Augusti. sermone centesimo nonagesimo octauo, dum loqueretur de emptione Dauid, cùm aream emit ab Areuna Hiebusæo: Dixitque Areuna ad Regem; Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum. Cui respondens Rex ait: Nequaquam ut uis, sed emam precio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo Dauid aream, & boues argenti siclis quinquaginta, & ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica. Et repropitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel: Considerandum est à nobis, Dauid sacrificium gratis facere noluisse, super aream Areunæ Hiebusæi antequã solueret quinquaginta siclos argenti, sacrificium erat faciendum, ideo & siclus sanctuarij erat soluendus, quia ad sacra facienda non nisi sacra est pecunia soluenda. Hæc omnia ita est interpretatus D. Augu. Rex ergo Hiebusæus ipse obtulit Beato Dauid aream, & boues ad holocaustum. Sed Rex Dauid accipere noluit, nisi prius precium daret. Et hoc in aduentu Domini Saluatoris impletum est, qui gentium corda sibi assumere noluit, nisi prius pro eis preciosum sanguinem daret. Quid ergo debet? Quinquaginta inquit siclos argenti: in quinquagenario numero, & gratia spiritussancti intelligitur, & peccatorum remissio designatur. Nam quinquagesimo die spiritussanctus Apostolis mittitur, & ut in veteri testamento quinquagesimus annus remissionis, & indulgentiæ consecratur. Dauid quidem ille argentum dedit, noster uerò Dauid cuius ille typum tenebat, preciosum sanguinem fudit. Ergo ut aream pagani Regis Dauid emeret, siclos quinquaginta obtulit, & verus Dauid Christus, ut in

2.Reg.2.

area

Quod igitur sibi debita à Deo remittantur, non suis meritis id sibi contingere dicat, sed ex nimia Dei, propter vnigeniti sui morte Domini nostri clementia, & Charitate: ita dicente D. Paulo. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri: Dei non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Tit. 6.
Secundùm iubent Summi Pontifices quemlibet basilicas nos uisere, quarum tempore Bonifacij Octaui, Basilicæ D. Petri, & Pauli erant: in Basilica enim D. Petri sita sunt. Imago Saluatoris D. N. in Sudario Veronicæ, lancea, qua percussus cum ex sanctissimo eius latere profluxit sanguis & aqua, corpora S. Petri, & Pauli, est etiam caput Sancti Andreæ Apostoli, & multa Sanctorum Pontificum corpora, & alia innumerabilia omni ueneratione digna in Basilica uerò S. Pauli condita sunt multa sanctorum innocentum corpora ab Herode interfectorum, corpora etiam S. Pet. & Pau. Thimothei, Celsi, Iuliani, & Brigidæ, cui ligneū crucifixum ad eam loquutum fuisse ferunt. Clemens uerò Sextus & ijs duabus basilicis addidit Basilicam Lateranensem: cùm in ea Apostolorum Principum capita sint collocata, & Saluatoris effigies illa quæ diuinitus, vt ait idem Clemens in suo diplomate miraculose apparuit, & in eodem loco scala sit marmorea cum omnibus suis gradibus, sanguine Domini nostri Iesu Christi, conspersa, cùm ad mortem Pilati lata sententia duceretur, in cuius etiam capite columna conspicitur, quæ incisa est tempore mortis ipsis Saluatoris nostri. Vas etiam cristalinum conspicitur auro ornatum, in quo ferunt partem sanguinis, & aquæ à latere Saluatoris nostri fuisse. Ibi etiam tabula conspicitur super quam cænauit Dominus noster cum Apostolis suis, & super qua sanctissimum Eucharistiæ sacramentum instituit: necnon plures etiam eodem in loco antiqui testamenti reliquiæ cernuntur à fidelibus.
Nostro uerò hoc tempore propter maiorem pietatem, & cultum consueuerunt omnes septem ecclesias adire nec sine ratione. Cum in Ecclesia Sanctæ Crucis in Hierusalem reliquiæ sint maximæ deuotionis: est enim ibi lignum sanctissimum Crucis Domini nostri Iesu Christi, & eius superscriptio à Pilato Cruci affixa, Hebraicis, Græcis, & Latinis literis scripta; Duo etiam argentei denarij, & clauus unus eorum quo Christus noster Cruci fuit affixus: duæ quoquè eius coronæ spinæ, Spongia, etiam ori eius Sanctissimo apposita, quæ plena fuit aceto, & fele, & innumerabilia quoquè, quocunque digna honore. Alia est basilica D. Sebastiano dicata, qui sanctus martyr pro Christi nomine sagittis impiorum interfectus est, & eodem in loco sanctum eius cadauer maxima pietate ueneratur à cunctis fidelibus, ob cuius sancti præclara facinora, & merita,

nouentes Deo, & illum uenerantes ab epidi niæ morbo liberat, id quod plurimi experti sunt maiorum nostrorum. In hac eadem basilica antra sunt latissima, & subterranea, in quibus sanctissimi uiri feritatem, ac Tyrannidem Romanorum Imperatorum cùm euadere studerent, uitam degebant. In hac eadem basilica, maximæ sunt indulgentiæ à Summis Pontifi. concessæ: Aliæ sunt etiam in vrbe innumerabiles indulgentiæ, quæ à fidelibus sunt uisendæ maioris deuotionis causa, sed consilium meum, fuerat illas tantùm proferre quæ à Summis Pon. in suis diplomatibus recondita sunt. Hoc obseruantes quòd Basilicæ ecclesiæ omnes sunt, extra de reli.do. c. 1. 16. q. 7. Basilica propriè domus Regia est, uel palatium Regis, sed nos per translationem ecclesias basilicas dicimus, quia ecclesię palatia sunt Summi Regis, glo. de pœn. & rem. & hinc est quòd olim Lateranensis dicta est basilica, quoniam Constantini domus fuit, postea & alias ecclesias Rom. Pont. Basilicas dixere, has igitur primo uisant fideles in Iubileo de quibus sumus loquuti, postea alias in quibus omnibus maximę sunt Indulgentiæ à Summis Pont. concessæ. Quæ igitur facere debeant fideles in anno Iubilei, hęc sunt. Primùm absoluantur à culpis per sacramentum pœnitentiæ, postea maiori qua poterunt deuotione Ecclesias uisitent.

Tertium cùm oratio sit ea, per quam Deo appropinquare possumus, non sine oratione erit à nobis tantùm munus requirendum. Nam ut ait D. Hieronymus super Danielem. cap. 9. promissa à Deo orationibus obtinemus: si desideramus igitur pœnarum nostrarum à Deo consequi remissionem id commodè obtinebimus per orationum nostrarum in anno Iubilei assiduitatem. At uerò qualis esse debeat oratio ista, non est à summarum diplomatibus Pontificum præscriptum. Aliquorum fuit sententia, quamlibet idoneam esse orationem, quæ circunscriptiones aliquas habuerit illius causæ, cuius gratia permoti studemus sanctissimum Iubileum complecti, de quibus uide glo. in cle. de reliq. & uen. san. Quid uerò sentiam in hac re, dicam; Orationem Dominicam, quam Dominus noster Iesus Christi compositam nobis reliquit, Idoneam esse, & necessariam arbitror qua id à sanctissimo Iubileo, quod consequi studemus, clarissimè petimus: cuius necessitatem D. Aug. docuit in Epist. nona ad Hilarium: Omnibus inquit necessaria est oratio dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis id est Apostolis suis Dominus dedit, vt vnusquisque Deo dicat; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cui enim hæc in oratione uerba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato uiuere pronunciandus est. Quales si aliquos futuros Dominus præuideret, meliores utique quàm extiterunt eius Apostoli, aliã orationem

eos doceret, qua non poterint dimitti sibi peccata, quibus in baptismo iã fuerant omnia dimissa. Quantum sit oratio Dominica, ostendit, sed qualis sit, docuit sermo. 182. Hæc oratio compendiosis uerbis id est septem petitionibus omnes species orationis comprehendit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro uitandis malis, aut pro delendis, commissis. Harum septem petitionum tres prius positæ pertinent ad æternitatem, quatuor sequentes ad uitæ præsentis necessitatem. Nam nominis Dei sanctificationem, & aduentum eius, quo in claritate uenturus est, & completa uoluntate eius, sicut in cœlo, & in terra, siue iustos, & peccatores, siue animam, & corpus, siue Christum, & ecclesiam intelligamus, quamuis ab humili aduentu Christi exordium sumant, tamen non nisi seculi terminatione complebuntur. Et omnia tria in æternum manebunt. Reliqua autem quatuor ad hanc uitam temporalem pertinere uidentur, quia & panis quotidianus, & spiritalis, licèt sit sempiternus, ad hoc tantùm tempus pertinet, in quantum ministratur animæ quibusdam signis, & dictis, uel scriptis, & ideo panis dicitur, quia laborando, & disserendo discitur, & ita quasi mandendo glutitur. Nunc quoque peccata dimittuntur nobis, & nos dimittimus aliis, quæ est inter quatuor secunda petitio, & nunc tentationes uitam nostram infestant, & ipsa liberatio à malo ad hanc uitam pertinet, quia Dei iustitia mortem incurrimus, unde ipsius misericordia liberandi sumus. De qua etiam oratione dom. habemus de cons. dist. 5. id semper placuit.

Sed cùm usus perpetuus fuerit ecclesiæ catho. Domino Psalmos cauere, quibus et ea implorat quibus, maximè egere uidetur, & à Deo ob impetrata ei gratias referrat, in his solemnibus Iubilei diebus, & aliquem ipsius Dauid Psalmum. Deo proferre debemus, ne pœnitentia nostra, salutari egeat oratione, quemadmodum septem Psalmi pœnitentiales inter quos commodior uerò omnibus uidetur Psal. quinquagesimus, quo Rex ille sua peccata detestando, ueniam illorum, ac Dei summam implorat pietatem. de eo etiam legimus de pœn. d. 3. Dauid quoque, de quo etiam D. Augustinus plurima scripsit, de hoc etiam. Cassiodorus hunc exponens hæc scribit; Huius autem Psalmi, nec numerus uacat. Pertinet enim ad annum Iubileum, qui apud Hebræos contraiectus, ueteres obligationesque soluebat, quem in Leu. Dominus annum remissionis uniuersos habitatores terræ uocare præcepit. Pertinet quoque ad Pentecostem, quando post ascensionem Domini Apostolis Spiritussanctus aduenit, miracula faciens, & carismatum dona concedens. Sic & Psal. hic calculo quinquagesimo constitutus, si corde puro dicatur, delicta dissoluit, Chirographum nostræ obligationis euacuat, & nos à debitis delictorum tan-

I 2 quam

quam remissionis annus, præstante Domino reddit immunes. Has orationes commodas esse crediderim cuilibet Romam progredienti, uel commoranti, sacras Iubilei indulgentias conseq ui cupienti. Hic propterea alias orationes ab Ecclesia Romana approbatas reijcere nolui, sed has cuicunque commodas esse dixi, Et Iubilei rationi ualde proprias.

CAP. XXVII.

Portæ Sanctæ in anno Iubilei ap eritionis significatio.

PORTAS *Basilicarum quatuor in Iubilei anni principio usitata illa tot ritibus solennibus, cerimonijs, consuetudo aperiendi ex maiorum nostrorum usu deprompta est: cùm olim pœnitentibus Episcopi, uel alij, quibus munus hoc erat datum, pœnas iniunctas remittebant, quod apertè constat ex concilijs, & Ecclesiæ* Decretis. *Dist. 50. cap. 58. in capite Quadragesimæ. Nempè eum, qui in detestabile aliquod facinus incidisset, ab ecclesiæ limitibus publicè arcebant, & extra ecclesiam illum iubebant pœnas datas sustinere in sudore vultus sui uescendo panem: Quem postea si à pœnis repetere uolebãt, ante fores ecclesiæ publicè absoluebant. gl. 161. & 26. q. 6. c. 1. Et ei ab Episcopo pœna iniuncta dimissa erat. Mox in gremium ecclesiæ restitutum portis basilicæ apertis ad altare deducebant non sine clericorum maximo applausu: A quo sancto instituto Ecclesia consuetudinem istam in Iubileo plenario sanctissimam recepit portas aperiendi, quo à pœnis iniunctis à sacris canonibus fideles declaret absolutos esse, indulgentiarum virtute. Hac igitur de causa Summus* Pontifex *in Vigilia Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi omnium Romæ tunc temporis degentium concursu tubis clangentibus, clericis omnibus psallentibus, pijs orantibus,* Portam *sanctam* D. Petro *consecratam tot sacris cerimonijs aperit. Quò remissionem, & absolutionem pœnarum pro peccatis factis fidelibus omnibus exactè pœnitentibus donari agnoscatur per munus Apostolicum illi Christo Domino nostro commissum.*

Summus Pontifex in Portæ Sanctæ aperitione utitur malleo argenteo: qui potestatem summam ecclesiæ significat: semper apud sacras litte-
40. *ras mallens potestatem ostendere uidentur, ut Hieremias docuit; Verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus. Vnde etiam po-*
50. *testatem Dæmonis significare uidetur, ut Hiere. dicit; contritus est malleus uniuersæ terræ.*

Vtitur Summus Pontific. malleo, ut summam Iurisdictionem ostendat

dat ecclesiæ, qua deijcit portam impedientem fideles à regno cælorum.

Hæc porta à Vate Regio præfigurata conspicitur: Hæc porta est, in qua improbi sedent, nec per eã intrare possint: Aduersum me loquebãtur, qui sedebant in porta, & in me psallebãt, qui bibebãt uinũ: Sedẽt uerò impij in porta, cùm thesauri spiritualis fructus non consequantur. Bibunt autem uinum, inquit D. Aug. hoc in loco; quod est uinum erroris, uinum impietatis, uinum superbiæ. Ab hac porta ululatus est impiorum, & contritio peccatorum. Soph. Et erit in die illa dicit Dominus, uox clamoris de porta compungentium, & ululatus à secunda, & contritio magna à collibus. Prima porta hæc est, ubi sedent improbi pn̄iam peccatorũ spernentes, uel simulantes eam, ululatus est etiam à secunda porta, quæ non uitæ, sed mortis porta est: hinc maximus ululatus, cùm certè eo tempore, cognoscent mortem ipsorũ perpetuã, & hæc erit: maxima à collibus, id est, à diuina iustitia contritio, & cruciatus perpetuus. Soph.

Sed porta hæc portam Domini *uerius ostendit, per quam iusti intrabunt.* Duæ *enim sunt portæ, inquit D.* Hierony. *in serm. de Resurrectione Domini. Porta Paradisi, & porta ecclesiæ, per portam ecclesiæ intramus portam Paradisi. Ita uiuere debemus, ne eijciamur de domo illa, & electi foras à bestijs deuoremur, quas formidans Proph. in alio loco ait; Ne tradas bestijs animas confitentiũ tibi. Intrare igitur debemus per hanc portam, quæ ecclesiæ est, & maximam eius ostendit potestatem, per quam à pœnis nobis à iure ecclesiastico constitutis, liberati, ingrediemur portam illam, quæ electis aperta, nunquam clausa erit in æternum, de porta hoc anno aperta forsitan loquutus est Hieremias cùm dicit. Sta in porta domus Domini, & prædica ibi uerbum istud, & dic: Audite uerbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum; Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel; Bonas facite uias uestras, & studia uestra, & habitabo uobiscum in loco isto. Nolite confidere in uerbis mendacij, dicentes; Templum* Domini, *templum* Domini *est. Vt igitur hanc portam ingrediamur, bonas faciamus uias nostras. Ecce, inquit D. Hiero. nunc Dominus stans in Paradisi ianua, loquitur ad nos, qui sumus in domo ipsius, quã quicũq; sanctorum fuerit ingressus, quãuis Diabolus prohibeat, quãuis inimicus accuset (ipse est siqui dẽ accusator fratrum nostrorũ) ipse est uindex inimicus sicut in* 126 *Ps. dicitur, qui sanctus fuerit, non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta. D. etiam Augustinus Sermone centesimo trigesimo sexto inquit; Ecce nunc Dominus stans in paradisi ianua loquitur ad nos, qui sumus in domo ipsius congregati, & dicit.* Hiere. 7.

Hæc est porta Dñi, iusti intrabũt per eã. Porta hæc siquidẽ porta est paradisi,

disi; sed porta quam in ecclesia aperit Summus Pontifi. Typus est, & figura illius: nam illa est, per quam ingressi, perfectissimam consequemur quietem, inquit D. Ioan. ut requiescant à lateribus suis; ita quicunq; hanc ingressi fuerint, ab omnibus pœnis liberati in finem uitæ summam consequentur felicitatem.

CAP. XXVII.

Confessarius ad Iubileum præparat pœnitentes.

QVI sacrosanctum Iubileum consequi ex optant, illos pœnitentes esse, oportere, ex deplomatibus Sum. Pontificum obseruauimus: pro pœnitentibus uerò intelligamus non contritos tantùm, uerùm etiam quicunque sacramentali pœnitentia sua detestatur peccata. Qua de causa unusquisque Iubilei plenariam indulgentiam consequi desiderans, & suarum, quas meretur, pœnarum remissionem, adeat confessarium, qui omnes illas conditiones habeat, quas ipsum opus est habere: simul etiam sit electus Summi Pontifi. mandato, ut à quouis crimine absoluendi facultatem habeat, ut constat ex Alexandri Sexti diplomate superiùs inter aliorum Pontificum Bullas à nobis collocato. Pœnitens autèm reipsa pœnitens sit, rectè contritus, animum habens amplius ad uomitum detestabilem peccatorum non reuerti: doleat grauiter Deum offendisse, & proximum, & satisfaciendi animum habeat ad confessarij arbitrium. Ipse uerò confessarius, quamuis pœnitens dispositus sit ad omnia ea facienda, quæ à Pontificum iure sancita fuerint pro Indulgentiarum consecutione, ut iudex tamen & ipse pœnam iniungat ad reprimendã peccatorum temeritatem, ad conseruandam ecclesiæ iustitiam, & quòd maximè doleat Deum offendisse, & proximũ. Id quod testatus est Alexander Sextus in diplomate primo ijs uerbis; casibus duntaxat exceptis ad effectum ipsam plenissimam indulgentiam consequendi, & dicto anno Iubilei durante in foro conscientiæ absoluendi, eisquè pœnitentiam salutarem iniungendi, plenam liberam, & omnimodã authoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium concedimus facultatem: non igitur pœnitentes à confessarijs dimittantur sine aliqua pœna, ex arbitrio (secundùm tamen rectum iudicium) constituenda: de quibus etiam de pœn. dist. 1. in summa: & Ioann. in summ. confess. lib. 3. tit. 34. & aliàs per Iuris canonicis summistas. Et ipse etiam confessarius hoc tempore à Summ. Pont. constitutus, quemadmodum, & alij etiam extra Iubileum, maximo affectu studeat pœnitentium audire confessiones

fessiones: nam & ipse plurimùm apud Deum meretur, cùm munus ordinis exerceat, & tanto magis meretur, quantò diligentius hoc munus obierit, ut habetur quoquè de pœn. dist. 3. De quotidianis in fi. de spon. inter oper. prout in contrarium dicit lex; Peius est persuadere mala, quàm facere, *& alterius peccatum sibi communicat, & se dupliciler criminibus commaculat.* Eadem quoquè ratione à nobis erit dicendum; *qui alios studet persuadere ad bona opera, duplici dignus est honore. ff. de li. ho. ex l. 3. §. si quis uiolentem. ÿ. Resp. ff. de ser cor. l. 1. §. persuadere.*

Animaduertere igitur debent Confessarij, qui ad hoc munus peccata aliorum pœnitentium audiendi à Sum. Ponti. sunt electi, qua diligentia, quo studio debeant pœnitentes ab impietatibus, improbitatibus, & flagitijs reuocare, & illos qua charitate admonitionibus, correctionibus, doctrina, & exemplo instruere, & docere debeant. Sunt enim Dei, ac ipsius Ecclesiæ ministri, & Summi Pont. delegati: *ut habetur de pœn. & remiss.* Quod quidem si maiori diligentia, & omni studio fecerint, à Domino Nostro Iesu Christo etiam maximis donabuntur præmijs; Et cuilibet illorum, qui diligenter expleuerint suum munus, à Domino dicetur; *Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Quid possunt iocundius audire ministri ecclesiæ ac suauiori uoce, quàm in domũ illam cęlestem, & perpetuam uocari? *Omni studio igitur suo muneri studeant, quòd hoc possint consequi æternum præmium, & subditos Maximo Pontifici, & ecclesiæ Sanctæ Romanæ se filios esse ostendant.*

CAP. XXVIII.

Qui uerè thesaurum non adipiscuntur Iubilei.

CVm iam apertè docuerimus, opus omnino esse ad Iubileum consequendum, quemlibet culpa mortali esse liberum, (cùm indulgentiæ non nisi in gratia tribuantur existentibus) etiam cuilibet compertum erit; *Pertinaces, ac in flagitijs & sceleribus demersos hunc thesaurum ecclesiæ nullo modo posse adipisci, præsertim, infamatores, ac alterius famæ detractores, fures, incendiarios, usurarios, impios indices: qui inimicè tempus perpetuò ulis cendi obseruant: lusores, meretrices, regulares proprietarios, beneficiatos sacra negligentes, simoniacos, concubinarios, & alijs similes, qui nisi has dimittant improbitates, nullo pacto sunt idonei ad indulgentias sacrosancti Iubilei consequendas.*

Primùm,

Primùm, qui aliquem suo honore spoliauerit, tenetur omnino restituere. Constat enim honorem rebus omnibus alijs digniorem esse, & ideo est præferendus, & timidè auferendus ut ff. si quis omis. causa test. l. Iuliana. Vnde crudelis est, qui negligit famam suam, idest, honorem suum 12. q. 1. Nolo. Vnde possumus dicere iniquum iudicem propter peccati crudelitatem, fore proprij honoris persecutorem. ut de re ludi. Cùm æterni. lib. 6. de quo infra. de hoc loquitur Dauid in Psal. Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. De honoris uerò ablati restitutione per murmurationem dicebat Gab. de monte Laud. de priuil. ca. 1. super uer. Prælatis detrahunt. in Clem. non dimittitur detractori peccatum nisi per omnia loca, per qua detraxit & per alia, ad quæ conuolauit, & alijs modis omnibus cuilibet, & quomodolibet poterit, restituat famam ablatam; & concludit hoc grauissimum scelus esse.

Idem quoquè de rerum aliorum raptoribus iudicare debemus, non loquendo de ijs, qui iure belli res alienas possident, dum iustum bellum gerunt, & non habeant animum impium aduersus eos, quibus bellum inferunt: hi enim omnia, quæ rapuerunt, aut ab hostibus, aut ab ijs, qui illis auxilium præstant, licitè possunt retinere, & hæc tandiu possunt exercere, quandiù hostis de iure satisfacere uoluerit; ut le. & not. dist. 1. Ius gentium. 23. q. 7. Si de rebus. de hoc consulendum est Ioan. de lig. de bello: Incendiarij uerò maiori sunt obstricti excommunicatione, & à nemine præterquam à Summ. Pont. absolui possunt. de sen. excomm. Tuæ nos. & c. conquesti. Isti nullo modo absoluentur nisi restituant usquè ad extremam necessitatem.

Sed in uniuersum loquamur: Omnis fur, raptor, usurarius, & quicunquè rem retinet alienam, quarumcunquè rerum, & beneficiorum occupator, & inuasor, aut uiolenter res alienas possidens necessariò tenetur satisfacere ex sacris canonibus usque ad minimum quandrantem, ac uenditionẽ hæreditatis, & omnium bonorum, licèt etiam ex hac compelleretur mendicare, potest tamen se cum læso componere, aut satisfactione perfecta, aut partiali, aut pro tempore; de quo uidere possumus etiam Pet. de Anc. super regula; Peccatum non dimittitur, & per Ioan. in summa confess. lib. 2. tit. 5. q. 86.

Iudices etiam teterrimi, ac Diaboli ministri, qui aut odio excruciati, aut lucro contaminati, aut proprio commodo consulentes iniustas aduersus miseros proferunt sententias: imò Principes id præter ius committentes, & permittentes; nisi miseros ab illa miseria subleuent; uel etiam, si ex hac decesserint uita sua causa, satisfaciant saltem propinquioribus, & grauem subeant pœnitentiam uerè pœnitentes; omnino fructu sanctissimi

ſimi priuantur Iubilei. Crimen enim iniuſti iudicis, eſt grauius furto, et rapina: nam Dei miniſter eſt, (non enim ſine cauſa gladium portat) cùm aũt iniuſtè iudicauerit, ius extorquet diuinum: quod grauiſsimum ſcelus eſſe iudicandum uenit, nihil autem hoc peccato magis eſt formidandum. Dominus enim noſter orationem habuit ad patrem pro miniſtris cum crucifigentibus; ſed non pro iudicibus iniquis: quos ita deteſtatus eſt Dominus noſter, quòd Pilato dixerit. Non haberes in me poteſtatem ullam, niſi datum tibi eſſe deſuper. Si igitur ſacroſancti Iubilei plenariam indulgentiam conſequi uoluerint iudices iſti, ſciant omnes teneri ad reſtitutionem damni; quòd ſi non fecerint, ſciant ſe à porta ſanctorum longè expulſos eſſe, & illam ingredi non poſſe ſpiritualiter. Ioan. 9.

Hic poſtea animaduertere debent illi, qui graues cum aliquo habent inimicitias, ſe niſi omnem iram, & inimicitiam deponant, Iubilei fructu omnino priuatos eſſe. Iam diximus Iubileum eſſe annum remiſsionis, in quo Deus nobis, cùm uelit remittere debeamus alijs remittere. Conſiderandum eſt tamẽ, Aliquẽ teneri remittere alteri offenſam ſibi illatam, bifariã intelligi poſſe, aut ratione appetitus ulciſcendi, quòd ille omnino uindictam non appetat; aut ratione iuſtitiæ: primo modo omninò tenetur remittere, ut nullo pacto optet ulciſci iniuriam illatam ab inimico propter id, quòd ſcriptum habemus; Mihi uindictam, & ego retribuam. Hoc etiam duobus modis intelligere poterimus, aut ratione interni actus, aut reſpectu actus externi, quo ſignum aliquod oſtendatur dilectionis illius cauſa: & gratia externi actus poſſumus duobus modis etiam loqui, primò, ſi ille, qui intulit iniuriam, ueniam ab eo obſecratur, manifeſtè oſtendens ſibi id graue eſſe, ac ſe dolere de iniuria illata; aut non petit ueniã. Si non petit, non tenetur oſtendere ſignum illi dilectionis, & ſi animum non habeat ulciſcendi iniuriam. Si uerò petat, meminerit quod à Domino dictum eſt; Dimittite, & dimittetur nobis. quòd ſi non fecerit, Iubileus non erit ſibi annus remiſsionis. Nam iubet Dominus; Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, hoc eſt, quòd fratrem tuum læſeris, relinque munus tuum ante altare, & ibis affectu, uel etiam corpore reconciliari fratri tuo. Ratio autem talis erigi poteſt, ex dicto ſaluatoris non licet iraſci, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, tantò igitur minùs aliquis debet inimicitiam cum aliquo exercere: deponat igitur unuſquiſque inimicitiam, ac etiam remittat iniuriam, ut à Deo remittatur ſibi, & plenariam Iubilei conſequatur indulgentiam. Matth. 5.

Luſores illi, qui fortunam exercent ueluti artem, conſulendi ſunt, ut ſi non exercitij gratia, quemadmodum faciunt nonnulli in ludis, qui ſunt

ex corporis motu, sed lucri causa ludunt tempus ipsum amittendo, quòd id totum ex ludo acquisitum restituant, non illi, qui & ipse eodem lusit animo; sed restituant pauperibus errogando, ut etiam is qui amisit ludendo eleemosinis, & ille qui uicit aliquid recipiat utilitatis à Deo, qui non relinquit bonum sine remuneratione: de hoc uidendus est Archid. & Ioann.in summa.lib.2.tit.8.q.24. licet ipse fuerit huius sententiæ, quòd ille tantùm restituat, qui dolo, uel fraude acquisierit in ludo. Ego crederem sententiam suam esse de iure. quicquid uerò dixi id refero ad forum Dei: in quo ludus talis non est legitimus.

Meretrices & ipsæ; nisi meretriciam omnino relinquāt obscœnitatem, non petant Romam huius rei gratia, idest consequendi plenarias indulgentias. Non tamen tenentur id, quod ex hac obscœnitate habuerunt, restituere, & si ditiores fuerint (nisi fortè ab eis receperint, qui facultates aut à parentibus, aut à communitate abstulerint, aut ab ijs, qui non sui sunt iuris, quibus omnino restituere tenentur, quia nec illi donare potuerunt) consulerem tamen meretrices has ea, quæ flagitioso lucro parta habent, pauperibus distribuere, ac locis pijs, ut orationibus pauperum releuentur à tanta improbitate.

Regulares uerò proprietarios consulerem legere Conc. Antesiodorense, can.23. Si Monachus in monasterio adulterium commiserit, aut peculium habere præsumpserit, aut furtum fecerit, & hoc Abbas per se non emendauerit, aut Episcopo, aut Archidiacono non intimauerit, officio priuetur. legant etiam Conc. Aquisgran.sub Ludouico; Si peculium Monachus habuerit, nisi ei ab Abbate pro iniuncta fuerit administratione permissum, à communione remoueatur altaris, & qui in extremis, seu post mortem cum peculio inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam, sed extra ciuitatem in campis. Videant Alex. Papa 3.cap.10.p p.& c.5.par.27.& D.August.in Serm. Peculium intelligitur stabile bonum, ita consueuimus dicere: nam maiores nostri omnia bona sua in pecoribus habebant: hoc igitur debet intelligi de bonis immobilibus, & etiam mobilibus absque licentia, quemadmodum declarat Conc. Trident.Sess.25. capit. Nemini regularium, inquit; Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, uel ad usum, uel administrationem, aut commendam, quapropter Superiores animaduertant hoc præcipuè anno Iubilei, ne subditos suos regulares animæ suæ non consulentes, & statum, quem perfitentur, negligentes, habeant uicos, agros, prædia, & alia, quæ peculium faciunt: ne sua negligentia sacris incumbentes, ueluti Iudas à Domino è suo excludantur officio, in Dei etiam incurrant

iram

iram, & à tanto thesauro abdicentur Iubilei: Cùm exclamet Dominus; Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet.

Considerent etiam hoc anno Clerici seculares, aut regulares degentes in collegiatis ecclesiis se obstrictos esse ad diuinorum officiorum celebrationem. Audiant D. Augustinum in sua institutione dicentem; Nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quæ D. Augu. uerba non ad pauciores diriguntur, sed ad omnes (præter illos tamen qui aut publico commodo, & utilitate, aut ægritudine impediti una cùm alijs psallere in choro nequeunt) Omnes autem non occupati, tenentur cum alijs celebrare diuina, non in angulis ecclesiæ, uel Domi; sed publicè suo honore, quo cantare debent Domino clerici: infirmi uerò, ac si illum cũ alijs celebrarent, considerantur: Famuli enim quos curamus nobis seruire intelliguntur. ff. de stat. li. l. 4. §. Stechus. non tamen excusat leuis ægritudo, aut febris quortana, ex multo tempore, ut ff. de edil. edic. l. 1. §. sed sciendum. Cessante igitur impedimento sciant se teneri ad restitutionem fructuum, Cùm stipendium sit, fructus laboris, & obsequij. ita. not. Dec. in cap. 1. de celebra. miss. & Archidia. in glossa: Idem indico de pensiones recipientibus: rem suam quisque igitur hoc anno consideret diligenter.

Simoniaci non uisant Romam, pro Iubileo consequendo, nisi restituant. Martinus enim quintus, & Conc. constant. perpetua sanxere constitutione, Simoniacos publicos, & priuatos excommunicatos esse, nec absolui posse, nisi à Summo. Pont. & cùm satisfecerint Ecclesiæ. Hoc idem Eugenius Quartus in Concil. Bas. & alij plurimi Pontifices. Restituant igitur, & ita sibi remittetur hoc detestabilissimum omnium scelus.

De concubinarijs, & pessimo crimine detentis, idem iudicium facerem, quod protuli de Meretricibus. Sic de omnibus alijs dicere debemus, qui in seruitute detinentur flagitiorum, nisi resipiscant, & nisi uirus omne ab anima per ueram pœnitentiam euomerint, non possunt sacrosancti Iubilei consequi pœnarum suarum remissionem. Illi igitur solùm idonei sunt ad Iubileum consequendum, qui in gratia Dei existunt expiati quocunque mortali crimine. Et licet non possimus certè scire pro hac uita nos in gratia esse, diceremus tamen ex coniecturis illos esse idoneos ad Iubileum, qui etiam tanquam idonei iudicantur, & admittuntur ad sacramentum Eucharistiæ ab ecclesia.

Admirabitur fortasse hic pius, & prudens lector, quòd huic nostro labori sequens etiam caput, quasi à proposito de anno Iubilei ualdè alienum subiecerimus, sed ab hac desistat admiratione, & sciat hoc iecir-

co nos adiecisse, non ut aliquid ad Iubilei spectans considerationem, sed ut id, quod cùm maximi erroris ansam plurimum præbeat neglectum (si mundus pluribus sit adhuc seculis duraturus) facillimè etiam hoc anno, & commodè corrigi possit. Videtur enim præsens Iubilei annus, quemadmodum plurimorum bonorum causa est, & origo nobis, ita & huius erroris manifestissimi exclusionis principium optimum fore. Alioquin post aliquot temporum interualla continget, ut dies festos, quos hac tempestate partim hyeme, partim uerè, & æstate celebramus, ordine prorsus mutato, non eisdem temporibus illi, qui post nostra tempora futuri sunt, celebrare cogantur. Et Pascha, quod nunc uere colitur, tunc hyeme celebrabitur. Idque ob eam causam continget, quam mox infra sumus reddituri.

CAP. XXIX.

De correctione Calendarij commodè in anno Iubilei. M.D.LXXV. facienda.

IN antiquo testamento Phase, uel Pascha erat Luna quartadecima primi mensis celebranda: cùm autem Dominus Noster eundem ritum celebrandi obseruauerit; Maiores tamen nostri, & nascentis Ecclesiæ Patres alio tempore celebrandum ordinarunt, & hoc ex Christi Domini Nostri ordinatione credendum est: ut sanctum uidelicet Pascha non quartadecima Luna Martij celebretur, sed die Dominico illam Lunam proximè sequenti.

In Calendario Ecclesiastico æquinoctium ponitur die uigesima prima Martij, cùm tamen propriè hoc tempore sit inter decimam, & undecimã Martij: ideo sæpius Pascha secundo mense celebratur, quo illud non licebat celebrari, quia mensis dicitur immundorum: & hæc celebratio ad-
Deut. 16. *uersatur dicto Deut. inquit enim Deus; Obserua mensem nouarum frugum, & uerni primùm temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte: & hinc est error, cùm post uigesimum primum diem Martij expectemus Lunam quartam decimam. Non tamen uolumus propter hoc asserere, Maiores nostros in obseruatione Phase, aut Paschæ errasse, sed nos errare dicimur: Quia eo tempore æquinoctium erat eo die spectandum, ut manifestè patet ex rationibus Astronomorum, sed nostro hoc tempore inter decimum & undecimum diem illud obseruamus. Obseruatio uerò hæc est; quòd solaris annus ex obseruatione antiquorum trecentis sexaginta*

ginta quinquè diebus, & quinque horis, minutis quadraginta nouem, secundis sexdecim constat. Nostri uerò obseruant annum solarem constare trecentis sexaginta quinque diebus, horis sex tantùm quibus tamen desunt minuta decem, secunda quadraginta quatuor, quæ in trecentis triginta quatuor annis unum diem horarum uiginti quatuor collecta constituunt minuta quinquaginta octo, secunda sexdecim. Ideo à tempore Nicenæ synodi ad tempora hæc nostra æquinoctium ferè ad decimam ascendit diem Martij: quapropter errare oportet circa festorum mobilium obseruationem. Circa rem hanc plurimi insudarunt nostra etiam hac tempestate, quemadmodum Petrus Pitattus Veronensis, Ludouicus Ferrarius Bononiensis, Lactantius Benatius Bononiensis, & alij plurimi ut errori huic succurrerent: prætereo aliquos, qui inter nos adhuc uitam uiuunt, somniantes ridiculosas correctiones: de grauissimis loquor aliquibus, ut Paulus Forosempronien. Episcopus, qui de re hac plurima eruditissimè conscripsit, sic autem in suo compendio ait; Errorem, qui ex æquinoctij anticipatione oritur, facillimè corrigi poterit, si æquinoctium reducatur ad decimum, uel undecimum diem Martij: sed cur ad hunc, uel illum diem? dicendum est secundùm suam sententiam; Quia Sol tunc ingreditur Arietem nonæ Sphæræ uagando inter duos dies, sicuti hoc tempore uagatur inter decimum, aut undecimum diem Martij: ideo potest reduci æquinoctium ad hoc tempus à numero minutorum, & secundorum obseruato, & ita reducetur ad locum proprium. Sed profectò uir iste alioquin eruditissimus non ita debuerat Paschæ temporis obseruationem corrigere, si considerasset, nos postea deuenturos ad eundem errorem annis totidem elapsis. Ideo est alius modus obseruandus, quo possimus errorem ita corrigere, ne iterum temporis prolixitate in eundem reuertamur errorem.

Nam emendatio ista licet clarissimi uiri fuerit; tamen (ut quid in re tanti momenti sentiam, ingenuè fatear) mihi multa absurda adducere uidetur, ac inter alia hoc ex ea oritur incommodum, festorum immobilium & mobilium, nonnullis ab hinc temporum interstitijs elapsis fore uidelicet concursum, & confusionem: quid hoc absurdius? Septuagesima enim quandoquè, & Epiphania erunt uno & eodem die; imò non solùm Circuncisio, & septuagesima, Aduentus, & Quadragesima, sed etiam Natiuitas, & Pascha eodem possent die concurrere. Septuagesima etiam Epiphaniam anticipare poterit, & Aequinoctium quandoque poterit contingere in mense Februarij. Hæc sanè & confusionem parere possent, & diuinorum officiorum permutationem, & hoc modo omnia quæ ad diuinum cultum pertinent perturbarentur: quòd omnino euitandum est in

est in Dei Ecclesia, quæ ordinata est, ut castrorum acies. Vt igitur rei commodiùs preuideatur dicerem: quòd si dierum illorum impediamus originem, ne crescant ex minutis illis supra memoratis omnino res ipsa ad suum reducetur ordinem: Impedimentum tale erit, si quolibet centesimo trigesimo quarto anno unum prætermiserimus bissextum, ita namque commodiùs res ipsa poterit reformari, quoniam, bissexto permanente, si diem unum remoueamus, idem contingere poterit, cùm res pendeat solùm ex conseruatione Aequinoctij in loco suo, id autem fieri potest non mutato; sed solùm diem crescentem spatio superius annorum declarato remouendo, per cuius ablationem in proprio permanebit loco Aequinoctium ipsum: quo in suo loco permanente errorem illum euademus contingentem circa festa mobilia.

Dies uerè isti auferri possunt, uel ab uno mense, uel à pluribus, & in reformatione, & confirmatione anni, nec id multùm referre uidetur. At uerò, si loquamur de aptiori tempore, mensem Octobris huius anni sanctissimi Iubilei. M. D. LXXV. aptiorem esse iudico: Cùm mensis iste antecedat Aduentum, & Septuagesimam, à quo, si remouerentur septem dies, ut eius finis esset uigesimo die (semel tantùm) cui addamus Calendis Nouembris, uel quia decem dies uidentur hanc permutationem causare, si remoueamus hos decem dies, ita quòd mensis Octobris uiginti & uno die absoluatur, tunc ad uerum reuertemur Aequinoctium: hoc uerò poterit incommodum oriri, quòd oportebit dierum nomina in Calendario permutare, aut literam permutare dominicas designantem: quæ hoc anno est B. hoc pacto ultima Nouembris esset die Veneris, prima uerò Nouembris die Martis: sed permutetur hæc litera, & sit. E. uel prosequatur usus literæ dominicalis usque ad annum: M. D. LXXVI. quo stante si posteritas, remedium hoc adhibuerit ipsius bissexti, tempus Aequinoctiorum in suo loco permanebit nulla festorum confusione contingente: & eodem tempore Aequinoctium habebimus, quo à maioribus nostris, & à catholicæ Ecclesiæ patribus est traditum, & Pascha suo loco celebrabitur ab Ecclesia, nec aliqua in horum dierum obseruatione confusio orietur: & Aequinoctium ueris reuertetur ad eum locum, qui à patribus ecclesiæ fuit constitutus: quo pacto postea in celebratione Paschæ nullus continget error ex parte Aequinoctij, nec ulla fiet confusio circa alias obseruationes festorum, ieiuniorum, uel diuinorum officiorum, & tunc Aequinoctium ueris semper continget ad duodecimum Calend. Aprilis, alia quoque puncta anni suis locis collocabuntur. Istum censui opportuniorem esse modum, tempus ecclesiasticum emendandi, quem sine multa officiorum diuinorum permu-

tatio-

tatione fieri posse arbitror, & quem facillimè totus orbis Christianus complecteretur, si sedes Apostolica Romana iuberet, uel ipsa tanquam totius orbis caput, hunc primùm obseruaret modum, qui tutissimus est: nec illis opus erit, quæ à nonnullis synodo Tridentinæ proposita erant, quæ quia diuturniori tempore egebant, nec sine magna impensa fieri po terant neglecta à Patribus fuere. Quòd si plurimis modus iste non placebit, quòd tot à mense Octobris adimantur dies, complectantur alium modum, quem docui, ut spacio quadraginta annorum, uel circa, bissexta prætermittantur: Nam tunc deceni dies adimentur, & Aequinoctium ad suum reuertetur locum. Hoc autem obseruare debemus, quòd anno ita emendato oportebit à S. sede lege perpetua sanciri, ut quolibet centesimo trigesimo quarto anno, dies bissexti à Calendario remoueantur, ne iterum reuertamur ad eundem errorem. Hanc opinionem alij etiam priores complexi sunt, in ter quos fuit Gregorius Benignus Episcopus Nazarenus, quam, & ualdè extulit Gulielmus Delfius quondam præceptor meus: qui me sæpius hortabatur hanc meam sententiam in publicum proferre; distuli tamen rem hanc, ne ansam pluribus detrahendi ipse præberem. Nunc uerò, cùm annus Iubilei celebratissimus sit, uolui illam in publicum edere, ut si aliquod utile pijs, & Christianis lectoribus ostenderit, gratias Deo pro me peccatore saltem, agant, & orent in hoc anno remissionis, ut mihi grauissima debita à diuina illa pietate dimittantur, & ad illam æternam fœlicitatem, quæ laborum omnium, quos in hac uita perferimus, præmium est toties in sacris literis à Christo redemptore nobis promissum ex ipsius humanitate, ac pietate unà cum cæteris, qui sacrosancti Iubilei munere peccatorum suorum ueniam sunt adepturi peruenire ualeam.

Hæc iccircò edere uolui non ut illustria quædam, & grauissimorum uirorum digna lectione; sed ut cunctis ostenderem, talentum, quod mihi dominus tradidit, me nolle in terra, tanquàm inutile tegere, sed cupere in Eccesiæ utilitatem impendere. Nec ueritus sum serpentinas aliquorum linguas, & si duplicatas: scio enim eos inimicè euomituros uirus teterrimum detractionis, ut lacerent, & damnent hos nostros labores: talis enim horum imperitorum est innata consuetudo.

Verum caueant isti, qui aliorum studia suis detractionibus retardare nituntur, ne sibi id quod Momo illi diuinorum operum derisori accidisse accepimus, multo grauius contingat. Hos enim maximè consueuit Deus acrius punire.

Sed

Sed qui eripuit Danielem de lacu Leonum, & Susanam à falsorum iudicum manibus, eruere me ab huiusmodi maleuolorum improbitate poterit. Qui exaltat humiles superbos de sede deponens. Qui est benedictus in sæcula.

CAP. XXX.

Ceremoniæ quibus Sanctisſi. Noſter Pontifex Gregorius Tertius decimus uſus eſt anno MDLXXV. in apertione portæ ſanctæ.

ME hortati ſunt nonnulli ut ordinem adderem, quo Sum. Pontifices utuntur in ſacroſancti Iubilei portæ apertione. Propterea quod in libro ceremoniarum Pontificalium non fuit conſcriptus. Ne igitur aliquid omitterem ad huius commentarij (ut poſſum) perfectionem addo, & hoc trigeſimum caput, quod non ingratum cuilibet Pio Chriſtiano fore exiſtimem. In quo ceremonias, quibus utuntur ipſi Pontifices, commemorare uolui, & cum aliorum Pontificum aliquo in loco ceremonias uidere non potuerim, nec ab aliquo fide digno audire, eas conſcripſi, quibus uſus eſt ſumma Religione Sanctiſſi. Noſtri GREGORIVS *hoc anno. MDLXXV. Res enim tanti momenti ſuis non debuit carere ceremonijs, ut ſanctiùs celebraretur, cùm etiam ceremonijs tota Iubilei ratio explicetur. Ceremonijs enim ſemper Maiores noſtri uſi ſunt, quia ualde ad pietatem Chriſtianam conducunt, ut docuit D. Auguſt. Epiſt. 119. ad Ianuarium; Si quæ autem figuræ, ait, ſimilitudinem, non tantùm de cælo, & de ſyderibus, ſed etiam de inferiori creatura ducuntur ad diſpenſationem ſacramentorum, eloquentia quædam eſt doctrinæ ſalutaris, mouendo, affectui diſcentium accommodata, à uiſibilibus ad inuiſibilia, à corporalibus ad ſpiritalia, à temporalibus ad æterna. Et* D. *Hieronymus de Cerei Paſchalis ceremonijs loquens, quas ab antiqua accepimus lege, quemadmodum alias quoquè plures, (non tamen eas recipiendo quæ abrogatæ fuere) ſed quæ ſolùm forent neceſſariæ ad ſolemnem cultum Chriſtianæ pietatis. Nec illas accepimus à Gentilibus, quemadmodum de Cereo Paſchali retulit Grego. Giraldus Ferrarienſis in ſuo de Deis gentium libro. Sed à patribus noſtris quibus ceremoniæ à Deo per Moyſem demandatæ fuerant. Quapropter Iubileus, cùm ſummæ ſit Religionis res à Deo fuerit inſtituta, ceremonijs ſuis etiam ornandus, & colendus fuerat. Quibus igitur ſit uſus Sanctiſſi. Gregorius hoc anno hæ ſunt.*

In Vigilia Natiuitatis D. Noſtri Ieſu Chriſti, circa meridiem Sum. Pontifex ſacris indutus, & Pontificalibus ueſtibus, unà cum Cardinalibus, & alijs Prælatis, ac etiam curiæ familiares ſuo ordine ad ſummorum uenit Pontificum capellam. Quo in loco dum ante ſanctiſſimum Sacramen-

dum ad Deum Summus Pontifex suas funderet praces: Cardinales, & alij curiæ Prelati falculas acceperunt accensas. Pontifex uerò peractis precibus, atque ture honoribus Deo solutis, ipsemet precatus est Spiritus sancti numen consueto Ecclesiæ hymno; Veni Creator Spiritus quo cepto, & cantu ab eo prolato: omnes postea totum cantant hymnum. Interim Pontifex & ipse, accensa falcula accepta, qua paternum ostenderet etiam Patris, & Pastoris amorem, ad portam sanctam aperiendã progreditur, ad quam cum peruenit in sede propria interim sedẽs, donec omnes alij ad eundem peruenerint locũ moratur. Postea uerò ad portam descendens aperiendam, malleo argenteo ea pulsa. Hos cecinit uersiculos, sibi clericorum Choro respondente.

Ver. Aperite mihi portas iustitiæ. Resp. In gressus in ea confitebor dño. Ver. Introibo in domũ tuum Domine. Resp. Adorabo ad templum sanctum tuum. Ver. Aperite portas quoniam nobiscum Deus. Resp. Quia facit uirtutem in Israel. Ver. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te ueniat. Dominus uobiscum. Et cum spiritu tuo.

Reuersus est postea ad sedẽ & hac Deum oratione obsecratus est; Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, et per te cepta finiatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Summus Pœnitentiarius & alij duo pœnitentiarij accepto malleo eandem portam percutiunt, fabri autem interim murum deijciunt, & portam aperiunt, qua aqua lustrali, & benedicta aspersa cantarunt Clerici, Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.

Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua domine, &c.

Porta hoc modo aperta antequam Summus Pontifex illam ingrederetur, hæc cecinit.

Ver. Hæc dies quam fecit Dominus. Resp. Exultemus, & lętemur in ea.
Ver. Beatus populus tuus Domine. Resp. Qui scit Iubilationem.
Ver. Hæc est porta Domini. Resp. Iusti intrabunt in eam.
Ver. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te ueniat.
Ver. Dominus uobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, qui per Moysem famulum tuum, populo Israelitico annum Iubilei, & remissionis instituisti: concede propitiùs nobis famulis tuis, eius Iubilei annum hunc tua authoritate institutum, quo portam hanc populo tuo ad preces tuæ Maiestati porrigendas ingredienti, solemniter aperiri, fœliciter in choare, ut in eo ueniam, atque indulgentiam, plenæ remissionis omnium delictorum obtenta, cum dies nostræ uocationis

nis aduenerit ad cœlestem gloriam fruend.m tuæ misericordiæ munere perducamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea in manu cruce accepta gratias Deo agendo intonuit. Te Deum laudamus, hoc postea cantantibus clericis ad maius altare reuersus est, ubi postquam orauit in eminenti sede collocatur Vesperas consueto Romanæ curiæ ordine celebrarunt, quæ potui ab amico Romá habere, hæc sunt.

Deo gratias.

FRAT. ANGELVS MORELIVS DE ARETIO,
Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, ac Religionis Seruorum B. Mariæ Virginis Generalis Magister.

QVONIAM Reueren. P. Magister Cyrillus de Bononia, ex nostro instituto Seruorum Sanctæ Mariæ Virginis, in Gymnasio Bononiæ Publicus Theologus, quendam tractatum de Iubileo composuit, & optet illum in lucem emittere; Idq; cùm fieri nequeat penès conciliorum Decreta absquè consensu Superioris: liberam illi facultatem impertimur, vt præfatas vigilias suas impressoribus imprimendas tradere possit. In quorum fidem has scripsimus, & sigillo nostro communiuimus. Datum Romæ in conuentu nostro Sancti Marcelli, die vigesima, Mensis Decembris. M. D. LXXIIII.

Cum solita manus appositione uidelicet.

Ita est Frater Angelus de Aretio Generalis.

Locus sigilli.

RERVM,

ET VERBORVM MEMORABILIVM QVAE HOC COMMENTARIO CONTINENTVR INDEX

locupletissimus.

A

B

Beata

Dam-

D

E

Figuras

F

G

H

Ieiunium

I

L

M

Naturam

N

O

P

Q

Remis-

R

S

T

V

X

In hoc indice prior numerus paginam indicabit, lineam uerò posterior.

CYRILLVS
FRANCHVS BONONIENSIS
Candido, & Pio Lectori.

PROVERBIVM est tritissimum Candide Lector; Neminem, qui celeriter res suas conficere studeat, illas omni ex parte perfectas efficere: id quod mihi nunc accidisse fateor, nec unquam in aliquo negotio tantum me laborasse cognoui, quantum in præsenti commentariolo de anno Iubilei. Et quod plurimùm refert, nec mihi ipsi in aliqua istius commentarij parte satisfecisse videor. Id igitur Candide Lector à te humanissimè peto, vt humanitate tua authorem sustineas, atque etiam excusatione recrees. Labor enim huius libri vires excedebat, atquè arctissimum tempus impellebat. Prætermito negotia lectionum publicarum, officiorum diuinorum, familiaris etiam curæ, qui-

quos nolui omnes in Typographos reijcere (Id.n. sibi minime cordi fuisset) & si quale sit hominum genus, vnusquisq; experiatur. Sed etiam ad minimam correctorum sedulitatem, & ad maximam rerum mearum occupationem referre volui, ne totam in ipsos culpam me reijcere perperam proclament. Hoc te scire volebam humanissime lector, quod libens abortiuum hoc opus suppressissem, quò minus in lucem prodiret, nisi me Reuerendissimus Angelus Morellus Aretinus nostræ familiæ Generalis Magister, ac Præceptor meus amātissimus, ad hunc edendum laborem, me hortatus esset, ac alij etiam amici carissimi. Nam vt ingenuè dicam animum meum, vix ulla est pagina, in qua Typographorum opera mihi probetur. Editus est, te rogo, atque obsecro æqui bonique consulas. Vale. Quæ menda corrigi debeant, & omissa restitui, diligentius in sequentibus considerato.

ERRATA ITA CORRIGITO.

PAg.prima.lin.28.nisi sui.
pag.9.lin.25.hanc, hinc.
pag.9.lin.31.archæ, arcæ.
pag.10.lin.3.Hyerosolimam Hierosolymam.
pag.16.lin.12.obscenum, obscænum.
pag.16.lin.2.dicebant, dicebantur.
pag.17.lin.5.anathemates, anathemate.
pag.17.lin.14.in ecclesiam, in ecclesia.
pag.18.lin.32.abstrictos, obstrictos.
pag.19.lin.5.pro seipso, pro seipsis.
pag.19.lin.19.saluamus, soluamus.
pag.16.lin.pen.dato, date.
pag.20.lin.21.vnitus, vnitas.
pag.20.lin.33.dilecti, delecti.
pag.22.lin.27.collatus, collocato.
pag.23.lin.7.certis, certi.
pag.29.lin.22.annos, annus.
pag.29.lin.26.petcatorum, peccatorum.
pag.30.lin.14.abstringimur, obstringimur.
pag.32.lin.27.qua, quæ.
pag.31.lin.31.afflictionis, afflictionis.
pag.33.lin.2.confirmentur, conformentur.
pag.34.lin.7.commonuimus, communiuimus.
pag.35.lin.38.milia, millia.
pag.35.lin.ulti.sedis, sedes.
pag.36.lin.2.tumulaum, tumulatum.
pag.38.lin.31.ciuitate, ciuitati.
pag.41.lin.7.publicati, publicari.
pag.48.lin.9.Hierosolimam, Hierosolymam.
pag.50.lin.12.tam, tamen.
pag.50.lin.25.διασπι διάσπα.

pag.56.lin.6.ædificatis, ædificatæ.
pag.62.lin.22.ipsis, ipsius.
pag.62.lin.25.qua, quam.
pag.67.lin.23.cauere, canere.
pag.69.lin.3.posſint, poſſunt.
pag.70.lin.3.lateribus, laboribus.
pag.70.lin.7.deplomatibus, diplomatibus.
pag.79.lin.16.Dilfius, Dolfius.

Quæ ſunt remouenda, uel addenda.

pag.9.lin.18.auuertere, auertere.
pag.17.lin.15.defendere opinionem, defendere.
pag.61.lin.28.tantùm, tantum.
pag.50.lin.9.hiſtoria anno, hiſtoria quòd anno:
pag.61.lin.35.dignæ cùm dignæ.
pag.61.lin.33.cum & ipſe, cum ipſe.

In Indice commentario in commentario.

SI & lynceos habuiſſem oculos, omnes non vidiſſem errores, tot ſcatet breuiſsimus, & laceratus meus commentarius: aliquid Lector mihi donabis tua humanitate, & ego te obſecro, ne permittas Vulpeculas mordaces me occaſione hac vndique lacerare, talis enim ſemper ſua fuit conſuetudo. Vale.



ΑΥΤΟΣ ΑΥΤΩ ΚΑΡΔΙΑΣ
ΚΑΦΑΡΣΙΟΝ.